



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Capvt II. De Necessitate Gratiae Ad Declinandvm A Malo, Et Faciendvm
Bonvm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

CAPVT II.

DE NECESSITATE GRATIÆ AD DECLINANDVM A MALO, ET FACIENDVM BONVM.

CONTROVERSI A I.

Virum Deus potuisset hominem creare cum Concupiscentia non subiecta rationi.

718. **M**odernus quidam Theologus in Hispania primum, deinde Romæ docuit, fuisse metaphysicè impossibile Deo, ut hominem crearet in statu puræ naturæ, sine subiectione partis inferioris superiori, hoc est, ita, ut Concupiscentia potuisset prævenire rationem, inclinando hominem ad malum, prout fit defacto in statu Naturæ lapsæ.

Huic sententiæ statim contradixerunt ceteri Theologi, adeo ut exilimaverint, eam esse damnatam in Bulla Pij V. & Gregorij XIII. inter propositiones Michaëlis Baij, quæ erant 79, & vigesima septima hæc erat. *Integritas primæ creationis non fuit indebita humane naturæ exaltatio, sed naturalis illius conditio.* Per *Integritatem* autem intelligunt DD. communiter & principaliter, subiectionem Concupiscentiæ. Ab hac censura quomodo se liberaverit ille Theologus, mihi non innotuit, sed non erat admodum difficile. Verba Bullæ hæc sunt. *Quas quidem sententias, stricto coram nobis examine ponderatas, quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore tamen, & proprio verborum sensu ab assertore intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosus, & in pias aures offensionem immitcentes respectivè &c. damnamus.* Diceret ergo Recentior iste, se non tribuere Naturæ puræ totam integritatem, quam illi tribuit Michaël Bajus, qui voluit, totum statum, in quo defacto primus Homo creatus est, fuisse homini connaturalem. De sola autem subiectione Concupiscentiæ non est locutus expressè Michaël Bajus. Quidquid sit an dicta sententia censuram mereatur, ea certè est singularis, & licet nitatur fundamentis aliquam apparentiam præ se ferentibus, ea tamen tanti non facimus, ut nos à consuetu Theologorum tramite debeant abducere.

719. Dicendum proinde est, Subiectionem Concupiscentiæ non esse proprietatem Naturæ humanæ debitam & connaturalem, adeoque sine illa hominem creari potuisse.

Probatur 1. Authoritate S. Thomæ 1. 2. q. 95. a. 1. ubi ad probandum, quod Adam fuerit creatus in Gratia, hoc vitur discursu. Quod Adam fuerit creatus in Gratia, videtur requirere ipsa rectitudo primi status, in quo Deus hominem fecit, secundum illud Ecclesiæ 7. *Deus fecit hominem rectum.* Erat enim rectitudo secundum hoc, quod ratio subdebatur Deo, rationi vero inferiores vires, & animæ corpus. Prima autem subiectione erat causâ secundæ & tertiæ. Quamdiu enim ratio manebat Deo subiecta, inferiori ei subdebantur, ut Augustinus dicit. Manifestum est autem, quod illa subiectione corporis ad animam, & inferiorum virium, ad rationem, non erat naturalis, adeoque post peccatum manifestæ, cum etiam in dæmonibus data naturalia post peccatum permanserint, ut Dionysius dicit c. 4. de divinis nominibus. Vnde manifestum est, quod illa prima subiectione, quæ ratio Deo subdebatur, non erat solum secundum Naturam, sed secundum supernaturale donum Gratiæ. Non enim potest esse, quod effectus sit potior, quam causâ. Vnde Augustinus 13. de Civit. Dei dicit, quod posteaquam præcepti facta transgressio est, constitim gratiâ deferente divinâ, de corporum inobedientia carnis suæ, tanquam reciprocam penam inobedientiæ suæ. Ex quo datur intelligi, si deferente Gratiâ soluta est obedientia carnis ad animam, quod per Gratiâ in anima existentem inferiora ei subdebantur. Hæc S. Thomas in sua summa.

720. In hoc ergo S. Thomæ discursu continetur ratio Conclusionis. Nihil enim eorum, quæ Naturæ humanæ simpliciter ac determinatè debita sunt, per peccatum originale ablatum est, sed ad summum aliqua debilitas aut infirmitas, ab extrinseco potius quam ab intrinseco proveniens, inducta est, ut inferius declarabitur. Ergo subiectione Concupiscentiæ non est simpliciter debita naturæ humanæ; nam hæc esse post peccatum ablatam omnes experimur.

721. Probat 2. Auctoritate S. Augustini quā etiam adversarius potissimum conatur opinionem suam fulcire. lib. 1. de peccat. mer. & remiss. c. 16. Quando, inquit, peccavit Adam non obediens Deo, tunc ejus corpus, quamvis esset animale, atque mortale, N.B. gratiam perdidit, quā ejus animae omni ex parte obediebat. Et lib. 15. de Gen. ad litt. c. 22. de Adamo post peccatum dicit. Ibi enim sensit, quā prius N.B. gratia vestiretur, quando in sua nuditate nihil indecens patiebatur. ibi completum est: Domine in voluntate tua praestitisti decori meo virtutem, avertisti autem faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Vterius idem S. Augustinus Lib. 4. contra Julian. c. 6. & vlt. Cur autem, inquit, non creditis hominibus in paradiso constitutis ante peccatum divinitus potuisse concedi, ut tranquillā motione & conjunctione vel commixtione membrorum, sine ulla libidine, liberos procrearent? & iterum. Quid est, inquit, gustato cibo prohibito nuditas indicata, nisi peccato nudatum, quod Gratia contegebat?

722. Probat 3. Ratione à priori. Tota ratio, quare defacto Concupiscentia praevertat rationem, inclinando ad objecta in his circumstantiis illicita, fundatur in ipsa Natura, secluso omni alio: ergo non potest subiectio ejusdem esse debita naturae, & quidem debito indispensabili, ut vult adversarius. Consequentia est evidens. Antecedens probatur. Tota ratio quare Concupiscentia carnis (nam de hac est potissima difficultas) prorumpat ante dictamen rationis, est, quia operationes sensuum exteriorum sunt determinantes subiectis applicatis & occurrentibus, antecedentes ad usum rationis; deinde per sympathiam operatur etiam phantasia & appetitus sensitivus: atqui hoc totum fundatur in natura; hac enim ita comparata est, ut non nisi medijs sensibus cognoscat objecta moralia, & hac quidem non nisi per cognitiones valde abstractas: econtra verò sensus sunt perpetuò expositi incurisibus objectis, & objectis applicatis actus sensationis est necessarius: ergo praeventio Concupiscentiae adeo est consentanea naturae, ut difficulter intelligi possit, quomodo per favorem supernaturalem fuerit subiecta, ut rationem praevenire non posset.

723. Denique rejicienda est hujus Recentioris sententia, quia fundatur in falsa expositione Peccati Originalis, quod nempe partialiter consistat in Morbida qualitate, causata per ipsum actuale peccatum Adam, & mediante semine causatur eam continente, propagata in posteros: quae est sententia suprà rejecta. Pari modo docet hic Recentior, subjectionem Naturalem Concupiscentiae in statu purae Naturae, futuram fuisse qualitatem quandam naturalem specialem; quae est merum figmentum, & à fortiori suprà rejectum, cum ageremus de Condonatione extrinseca.

Obicit Adversarius primò S. Thomam 1. 2. q. 82. a. 3. ad. 1. dicentem: quia in homine Concupiscentia naturaliter regitur ratione, in tantum concupiscere est homini naturale, in quantum est secundum

ordinem rationis. Concupiscentia autem quae transcendit limites rationis, inest homini contra naturam, & talis est Concupiscentia peccati originalis. R. S. Thomam loqui de Concupiscentia quoad totam suam vim & vehementiam, quam exercet in natura lapsa, hoc est, quae tanta est, ut seclusa Gratia supernaturali, inferret moralem necessitatem ad peccandum: porro, hac tanta vehementia non fuisset connaturalis in statu purae naturae, secluso omni peccato, sed fuisset tunc debita moralis potentia non peccandi; hac autem moralis potentia per peccatum originale est amissa, quatenus homo subijcitur & permittitur diabolo, ut ab eo possit tentari varijs modis, prout infra declabitur.

724. Objicit 2. S. Augustinum, qui pravitatem Concupiscentiae colligit & probat ex quodam praecipuo illius effectu, causato in membris ad generationem deservientibus: quae de causa ipsam Concupiscentiam frequentissime appellat pudendam, & contra Julianum notat, ipsa etiam membra ideo pudenda dici, quia plus in eis potestatis habet libido, quam ratio. Hinc autem Recentior sic arguitur. Concupiscentia contra rationem est verè pudenda, & digna materia pudoris & verecundiae; sed opus Dei, vel in opere Dei à nulla alia causa vitiatum, nihil est verè pudendum, nullaque digna materia pudoris & verecundiae: ergo Concupiscentia ista nec est opus Dei, nec operi Dei inesse potest, nullā aliā causā id vitiantem.

725. Respondetur. Quando dicitur, in opere Dei nihil esse pudendum seu pudore dignum, id utique verissimum est, si opus in se praecise consideretur; non item verum est in hoc sensu, quasi in opere Dei non possint inesse Naturales imperfectiones, quae deberent occultari ob periculum scandali, vel ob aliam causam, fundatam in verecundia naturaliter indita: quae quia non habuissent locum in statu Naturae integræ, qualem defacto habuit Adamus ante lapsum, ideo tunc non fuissent vocanda pudenda, & quod nunc ita rectè vocentur ac sint, defacto quidem provenit à peccato originali, quamvis etiam in statu naturae purae fuissent pudenda, sicut defacto Mors provenit à peccato originali, quae tamen etiam in statu purae Naturae fuisset connaturalis.

726. Quod attinet ad locum S. Augustini, cum nos ex illo attulerimus clara Testimonia, quibus tribuit Gratia divina subjectionem Concupiscentiae, adversarius verò afferat alia ex eodem S. P. quibus videtur supponere, Concupiscentiae subjectionem esse connaturalem homini, nempe omnia illa, quibus contra Pelagianos probat Peccatum Originale ex concupiscentiae rebellionem seu solutionem: ideo ut concilietur

Observandum est, cum P. Martino Esparza, quod S. Augustinus in suo argumento semper supposuerit, Deum creasse hominem rectum, Eccles. 7. hoc est, cum subjectione Concupiscentiae, prout illud semper intellexerunt PP. & Concilia:

M m 3

quo

quo supposito, fuit optima illatio peccati originalis ex Concupiscentia soluta.

727. Confirmatur ex eo, quod S. P. cum cap. II. de dono perseverantiae, dixisset: *Quamvis Ignorantia & difficultas* (orta ex concupiscentia) *essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus Deus, sed laudandus esset* (notet haec verba sibi contraria adversarius) & hoc etiam habeat lib. I. Retract. c. 9. addit tamen declarationis gratia, se hanc hypothesin transmittere Manichaeis, contra quos disputabat, quia non admitterebant antiquum Testamentum. Contra Pelagianos autem, inquit, hoc defendendum est, quod utraque Scriptura commendat, atque adeo hinc recte probari, quod detur peccatum originale, ejusdemque poenam esse defecto Ignorantiae & Difficultatem Concupiscentiae. quamvis haec sine vituperio Dei potuissent esse primordia naturalia hominis. Quomodo quaso haec cohaerent cum doctrina adversarii, quod metaphysice repugnent haec naturalia primordia, quia cederent in vituperium Dei?

728. Obijcit Adversarius 3. & argumentatur ratione. Si humana natura conderetur à Deo cum appetitu non subiecto, sed repugnante ad rationem, aliquod malum naturae rationalis quā talis esset à Deo. consequens repugnat, ergo & positio. Minor probatur. Nam natura rationalis quā talis, duo concernit, scilicet Veritatem, & Honestatem: nil autem valet itati aut Honestati repugnans & contradicens, est à Deo verè & simpliciter loquendo, & hac vnicè de causa nequit Deus esse Auctor aut causa positiva & simpliciter errorum aut habituum inclinantium ad falsum, nec etiam indere vel causare in nobis positivè, ne quidem in poenam peccati, vltos pravos habitus, vllamque inclinationem ad inhonestum, aut tentare aut inducere ad peccatum, aut quoquo modo movere: & propterea SS. PP. & communiter omnes Theologi, explicant de causalitate solùm permissiva, quoties in Scriptura asseritur, Deum excicare & indurare peccatores, aut decipere aliquem, vel tradere in reprobum sensum. Probat jam etiam major propositio. Imprimis dubitari nequit, concupiscere vel appetere contra rationem, esse malum naturae rationalis quā talis, quae videlicet talis formalissimè est & dicitur à ratione, utique rectè. Rursus hac repugnantia ad rationem, & inclinatio ad oppositum in casu posito, esset verè & positivè à Deo. quod probatur. 1. Quia id esset ab auctore aliquo, & à vera aliqua causa, cui imputaretur: nam sic omne etiam malum, causam talem habet, quod videtur per se notum: quid enim alioquin circa causam mali quaerendum ab Augustino contra Manichaeos? atqui non potest assignari alia causa illius appetitus contra rationem, quàm Deus. Ergo &c. 2. Quia eatenus duntaxat defendi potest, Deum non esse causam positivam illius appetitus, quatenus ille competeret homini, non in quantum à Deo est, sed in quantum ex nihilo, & natura quādam limitata, & sic imperfecta. Sed

haec, responsio (quae est P. Martini Espartze) non sufficit: nam sic neque in Deum, tanquam in veram causam, refunderetur Corporeitas, Materialitas, Vegetabilitas, animalitas, & in summa, nec ipsa natura nostra, quae quā talis limitata est, & ex nihilo est, & imperfecta est: Ergo Deus non erit vera & positiva causa naturae. 3. Quia illae Reduplicaciones: *in quantum ex nihilo, & similes*, non tollunt à Deo veram & positivam rationem Causae, nam hoc sensu maxime omnium dici solet, convenire nobis potentiam bene vel male operandi, seu liberum arbitrium, quia scilicet sumus ex nihilo: & tamen hujus liberi arbitrij Deus est vera causa & auctor, & à Deo illud accepimus. 4. Quia similiter dici potest, Deum potuisse condere imbutos erroribus, horum tamen illum non esse veram causam, quia nobis insunt ex exigentia nostrae inclinationis, quia ex nihilo. 5. Dicit posset, Deum non positivè excicare, & tradere in reprobum sensum. Ita ille.

729. Hoc argumentum, nisi fallor, in auctori & omnibus solvendum est contra Manichaeos, volentes, quod praeter Principium bonorum, detur aliud principium malorum. Natura enim humana facta est peccabilis, antequam ter ad omne peccatum. atqui peccabilitas est mala: ergo si Deus non est causa positiva vlti mali, dabitur praeter Deum aliud principium causans peccabilitatem naturae humanae. Potest Peccabilitas proxima essentialiter dici aliquam inclinationem ad illicitum, nam observantur praeccepti est quaedam victoria: ergo peccati pugna, hoc est, inclinatio ad oppositum. De hac inclinatione redit totum argumentum adversarii. Sicut ergo omnes respondere debemus de Peccabilitate, ita -

Respondeo ad objectionem; Distinguo majorem: esset à Deo aliquod malum, hoc est, aliqua physica imperfectio, identificata cum natura ob essentialem limitationem ad certum terminum perfectionis, vi cuius limitationis Deus non potest absque miraculo impedire aliquam supervenientem accidentalem imperfectionem, concedo majorem: in alio sensu, ergo majorem: & hinc pater disparitas inter Concupiscentiam, & Errorem, aut habitum inhonestum, inclinantem ad peccatum: haec enim imperfectiones non consequuntur ex necessitate macerata ipsam imperfectionem naturae humanae, sicut et eam consequitur, quod appetitus sensitivus sensibilibus praeveniat rationem. Et sic evanescit obiectio.

730. Pro ampliore tamen illius solutione advertendum est. Concupiscentiam, etiam cum praevitit rationem, nunquam ferri in obiectum secundum rationem ex se intrinsecè, simpliciter & absolute malam & illicitam, pro omni casu, ut pluribus declarari posset, si id necessitate vellet: Vnde fit, ut talis appetitionis finis, pro natura intentus, sit bonus, quia intenditur à natura

etia propter aliquem casum naturaliter possibi-
lem & licitum, ad quem obtinendum est ejus-
modi appetitio utilis: v.g. appetitio copulae, vin-
dictae, cibi &c. quod vero in istis circumstantiis,
respectu talis suppositi aut objecti, tali tempore
aut loco, prorumpens Concupiscentia, inclinet
ad illicitum, hoc non provenit adaequatè à sola
appetitione, sed ab alijs circumstantiis. Vlti-
mus, quod hujusmodi inclinationem ex circum-
stantijs malam, provenientem ex concursu diver-
sarum causarum, non debeat Deus impedire,
nimis est manifestum, & probatur à paritate Intel-
lectus, respectu cuius non debet Deus impedire,
quominus possit in errorem induci arte Opticae
& Perspectivae, ut judicet esse vicina, quae sunt
remota, vel e contra. Eodem modo, aegritudi-
nes sunt quoddam malum naturae, sicut & mors
ipsa, & tamen ex concursu diversarum causarum,
hac naturaliter consequuntur ad perfectionem li-
mitatam humanae naturae, nec à Deo in statu purae
naturae debuissent impediri, nec ex eo, quod De-
us non impedivisset, diceretur esse auctor alicujus
mali, in sensu quo id dedecet opus Dei. Idem
ergo de Concupiscentia dicendum est.

Obijcit 4. Est contra rectum ordinem, ut
inferiora non subsint superioribus: atqui Deus
non potest non observare in opere suo rectum
ordinem; ergo non potest naturam humanam
condere sine subiectione appetitus & Concupi-
scentiae. R. Dist. majorem. Est contra rectum
ordinem ut inferiora non subsint omnimodè su-
perioribus, nego majorem; est contra rectum or-
dinem non subesse eousque, quousque requiritur
ad possibilitatem consecutionis ultimi finis,
concedo majorem; & concessa minore, distingo
consequens. Non potest Deus condere Naturam,
quin habeat tantam potestatem in appetitum infe-
riorem, ut ejus inclinationi resistere possit, &
non consentire, idque liberè, concedo conse-
quentiam, quin possit ab illo praeveniri per sim-
plicem complacentiam non peccaminosam, adeo-
que ex se non impeditivam ultimi finis, nego
consequentiam.

CONTROVERSIA II.

*Utrum, & in quibus Natura lapsa sit
debiliior, quam esset Natura pura an-
te Lapsum.*

733. Status Naturae Theologicè sumptus (nam
aliter sumitur in Jure Civili ff. de statu ho-
minum) definitur à Scoto: Stabilis permanentia,
Legibus Divinae Sapientiae firmata. Clarius à P.
Suarez, Modus se habendi totius Naturae humanae,
in ordine ad suum ultimum finem, secundum Di-
vine Providentiae ordinem.

734. Dividitur 1. in Statum Viæ, & Ter-
mini. Vltimus subdividitur Status Viæ, in Sta-
tum Naturae integræ, cum Justitia Originali & Gra-

tia conjunctæ, prout eum habuit Adam & Eva an-
te lapsum, & in Statum Naturae Lapsæ. Statu^s
Naturae integræ multa Gratuita includebat, nem-
pe immunitatem à morte, morbis, rebellionem
partis inferioris & passionum contra rationem,
Gratiam habituales, & ceteros Habitus infusos,
Scientiam infusam, & secundum S. Thomam, im-
munitatem ab omni errore seu deceptione, quam-
diu non peccasset; Item probabilis immunita-
tem ab omni Tristitia, & alijs molestis passionibus.
Vnde inferunt multi, inclusisse etiam immunita-
tem à culpa veniali, quamdiu homo non peccasset
mortaliter, quia peccato veniali debetur aliqua
poena; Statui autem perfecto nulla potest infligi
poenalis: cum ergo non videatur credibile,
quod homo per peccatum veniale amisisset inte-
gritatem Status, videtur ad Providentiam Dei
spectasse, supposita liberali collatione Status per-
fecti, ita gubernare hominem, ut ante peccatum
mortale non peccaret venialiter.

735. Porro Prærogativa enumeratæ possent
ab invicem separari: sic Beatissimæ Virgini data
fuit perfecta subiectio partis inferioris respectu
superioris, immunitas à peccato, & ab errore; nec
tamen fuit data immunitas à morte.

Status Naturae lapsæ est, quem acquisivit Adam
per peccatum, quo fuit spoliatus Gratia sanctifi-
cante, & reliquis prærogativis Naturae integræ,
& hanc spoliationem in univèrsum genus huma-
num, exceptâ Beatissimâ Dei Matre, transfudit.
Hinc

Nascitur Controversia: Utrum Adamus se
& Genus humanum, per suum lapsum præcisè pri-
vaverit donis supernaturalibus, & indebitis Natu-
rae secundum se spectatæ; vel, An insuper Vires
Naturae lapsæ, seclusâ Gratia & Reparatione factâ
per Christum, sint debilitatæ in ordine ad obser-
vationem Mandatorum & declinationem à malo.
In qua controversia valde differunt authores, fortè
magis in modo loquendi, quàm in re ipsa, in qua
debent ferè convenire. Itaque

734. Prima Sententia est, quod Vires Naturales
Naturae Lapsæ, si non esset reparata, essent eadem,
quæ fuissent in Natura pura. Ita videtur præ ca-
teris apertius sentire Suarez, nam alij, qui in mo-
do loquendi cum Suarez conveniunt, explicant
se solum de intrinseca constitutione, quoad sub-
stantiam & physicas proprietates; in quo sensu est
sententia verissima. Verum, quia potest intelli-
gi Natura lapsa facta debiliior præcisè per subtra-
ctionem alicujus assistentiae extrinsecae, v.g. im-
pediendo ne Demon possit concitare appetitum
aut imaginativam, ut inducat moralem necessita-
tem peccandi, ideo magis expressè hanc primam
sententiam tuetur Cardin. Pallavicinus, asserens
n. 22. nullâ ex parte naturam lapsam factam esse
debiliorem quoad vires Naturales.

735. Secunda Sententia docet, factam esse
Naturam lapsam debiliorem quoad aliqua, Natu-
raliter & tantum moraliter debita, vel debita in-
determinatè, non determinatè. Ita jam com-
muniter

munitur RR. quibus præluxit Card. de Lugo, docens, Naturam lapsam, spectatis præcisè Naturalibus viribus, in hoc esse deteriorem Naturâ purâ, quòd Deus ut Auctor & Gubernator Naturæ, non quidem ex debito physico, sed tamen ex debito morali, teneretur Naturam puram ita tueri à suis hostibus, qui sunt Dæmones, Mundus & Caro, ut horum insultus eoque cohiberet, ne redderent homini impossibilem observantiam totius legis: hanc, inquam, tutelam ait esse debitam homini, non quidem præcisè secundum naturam spectatam, sed ut carenti omni culpâ gravi, adeoque ut amico saltem Naturali Dei. Ratio est, quia cum homo pro fine haberet felicitatem Naturalem, deberet illi hæc esse moraliter possibilis: ergo deberet hæc possibilitas esse moraliter debita: sed non esset moraliter possibilis, si homo non posset moraliter evitare culpam gravem toto vitæ tempore: non posset autem evitare, nisi haberet hanc extrinsecam gubernationem; ergo &c. Vocat autem Lugo hoc debitum *Morale* non physicum, quia non est debitum alicujus intrinsecæ physice perfectionis: sed alicujus rei Moralis, videlicet Gubernationis; revera tamen est debitum prout *Debitum* opponitur *Gratis*. Pro resolutione

736. Notandum 1. Ex eo, quòd homo per peccatum originale factus sit inimicus Dei, & filius iræ, hocipso factum esse indignum omni favore, & per consequens, specialiorem gratiam & favorem futurum esse, si homini in Natura lapsa ejusmodi favores exhiberentur, quàm si fuissent exhibiti in Natura pura ante lapsum: qui enim est amicus, potest utique majorem & probabiliorē spem habere consequendi ejusmodi favores, quàm qui est factus inimicus, & excidit Gratiâ, si ve per propriam sive per alienam culpam.

737. Notandum 2. Ea quæ homini in natura pura debita fuissent, esse in duplici classe: alia enim sunt ejusmodi, quæ sine miraculo non potuissent à Deo negari, & si negata fuissent, debuissent compensari, & hæc dicuntur esse debita determinatè, & debito simpliciter physico. Alia verò sunt debita, quæ sine miraculo possent denegari, quia non sunt debita determinatè, sed indeterminatè, & ideo satisficeret adhuc debito physico, etiamsi non exhiberentur eo modo, quo afferunt aliquod bonum morale, v.g. talis vel talis motus elementorum aliarumque causarum secundarum, ex quibus sic motis proveniunt deinde varia commoda, conducentia magis minúsve ad felicitatem naturalem. Quis enim dicat, quòd in statu naturæ puræ non potuissent homines petere à Deo pluvias aut serenitatem? non autem petissent miraculum: ergo supposuissent, quòd Auctor naturæ teneatur quidem ad exhibendos aliquos hujusmodi concursus & motus causarum secundarum, sed non determinatè ad istos, & tales, ex quibus hic & nunc proveniat optata tempestas, & corporum sanitas. Quapropter dum Auctor Naturæ huic debito, in quantum est de-

bitum physicum, satisfacit, posset contingere simul exhiberet beneficium & favorem, nempe, quatenus motus indeterminatè debitus determinaretur ad talem motum proficuum, cum posset determinari ad motum non proficuum.

738. Notandum 3. Ex duplici capite potest intelligi, quòd natura reddatur debiliior ad hoc operandum. Primum, ex defectu vel augmento alicujus principij intrinseci, v.g. si daretur qualitas illa morbida, quæ instar habitus inclinet ad malum, & quæ excluderet qualitatem naturalem, inclinantem ad bonum. Secundò, ex defectu extrinsecæ protectionis specialis, quæ posset magis minúsve attemperari Causæ extrinsecæ, excitativæ motuum inordinatorum. His positis

739. DICO 1. Quoad ea, quæ Naturæ humanæ sunt debita debito primi generis, non esset debiliior Natura lapsa, quàm natura purâ fuisset ante lapsum. Probat 1. Ex recedente Theologorum doctrina, quòd defecit homo post lapsum non aliter differat ab homine, quàm fuisset in statu puræ naturæ, quàm quo modo differt homo spoliatus ab homine nudo, hoc est, ab eo qui nunquam vestes habuit: ergo hoc non esset verum, si homo post lapsum caret aliquo naturaliter debito, quòd habuisset in statu puræ naturæ; jam enim non differretur spoliatus à nudo, sed sicut spoliatus ab hinc vestes, quibus alter est spoliatus. Ergo &c.

740. Confirmatur. Quia ad minimum de his debitis intelligendus est S. Dionysius in *de divinis nom.* dicens, quòd tam in hominibus, quàm in Angelis manserint integra naturalia post lapsum.

Probat 2. Ratione. Certum est, quia hujusmodi naturaliter debita manere post lapsum, ut patet in potentij vitalibus, & alijs, atqui non est major ratio, quare aliqua maneat, alia non maneant: imò est eadem ratio de omnibus: nam ideo manent illa, quia adest illis exigens illa, & quia sine miraculo negari non possunt. atqui hæc ratio procedit de omnibus, quæ debentur debito primi generis, ut patet ex dictis. Ergo &c.

741. Confirmatur. Nam incredibile est, quòd natura humana post lapsum ita sit constituta, ut sapientes, qui ignorant peccatum originale, necessariò decipiantur circa illam illiusque essentiam ac proprietates: quæ enim in illa non reperiunt uniformiter, judicant ea non debere debito primi generis, ergo vel decipiuntur, vel nihil horum deest.

742. DICO 2. Natura lapsa, seclusa omni gratiâ per Christum, seu, seclusa omni compensatione, debiliior esset, quàm fuisset natura pura, ob indignitatem habendi ea, quæ naturæ puræ fuissent debita indeterminatè, seu, debito secundi generis. Probat 1. Per peccatum originale ita subjecta est natura humana dæmoni, ut habeat potestatem eam vehementer tentare,

adeo quidem, ut ipsi esset moraliter impossibile resistere, nisi adjuvarentur gratia per Christum: atqui hanc potestatem non habuisset demon in statu Naturæ puræ. Ergo &c.

743. Confirmatur. Favores, qui Naturæ puræ innocenti fuissent exhibiti, ordinati fuissent ad felicitatem naturalem: postquam autem homo elevatus est ad finem supernaturalem, loco illorum favorum, substituti sunt favores supernaturales, ita quidem, ut si homo se his indigne redderet, non propterea rediret ad priores favores, quia non rediret ad capacitatem felicitatis Naturalis, ut patet in parvulis decedentibus sine Baptismo, qui carent perfectâ felicitate naturali, non propter peccatum originale (nam propter hoc carent felicitate supernaturali) sed quia erant elevati ad finem supernaturalem, cum tamen illis in statu puræ naturæ decedentibus, debita fuisset felicitas Naturalis: ergo cum homo per peccatum originale spoliatur favoribus supernaturalibus, & vi elevationis careat favoribus naturalibus, sequitur, naturam lapsam esse hoc sensu debiliorem Naturæ puræ.

744. Obijcies 1. Homo per peccatum originale incurrit necessitatem moralem peccandi etiam actualiter intra longum tempus, nisi gratia adjuvetur: atqui in statu puræ naturæ non habuisset hanc moralem necessitatem, sed potentiam moralem vitandi omnia peccata mortalia, & quidem absque gratia & favore: ergo non tantum debitis secundum generis, sed etiam aliquo debito primi generis spoliatus est per peccatum originale. Minor probatur. Si enim homo non nisi per favorem potuisset moraliter evitare peccata, natura ipsa fuisset malè constituta, utpote quæ suis vicibus relicta esset moraliter necessitata ad statum summæ miseriæ & infelicitatis, adeoque ineptâ ad suum ultimum finem. Ergo potentia vitandi peccata moraliter, est aliquid determinatè & physice debitum.

745. Confirmatur, ad Gubernatoris supremi providentiam spectat, naturam rationalem spe præmij & timore supplicij moderari: ergo debet homo posse sperare felicitatem ut præmij: atqui non posset eam sperare, si sciret, esse sibi suis viribus moraliter impossibile consequi. Ergo &c. Pro solutione

Observandum est, ex Card. Pallav. à n. 23. non id esse malum, quod non potest consequi suum finem proprijs viribus, secluso omni favore extrinseco: si enim hoc esset, neque plantæ, neque pleraque animalia essent bona, quippe quæ egent culturâ, & educatione hominis: homo vero seorsim ab illis acceptus, est animalium insufficientissimus sibi, ut notat Arist. 1. polit. quæ insufficientia non proveniunt à novercali odio Naturæ, sicut suspicatus est Plinius, lib. 7. Hist. anim. c. 1. sed potiùs à Naturæ benevolentia, quæ per hanc insufficientiam, adeoque indigentiam, voluitnectere homines inter se arctissimâ charitate, ex qua existeret Societas humana do-

minatrix hujus universi. Ut ergo aliquid non sit malum, sed bonum, satis est, si possit consequi suum finem vel per se, vel per alium, qui probabiliter sit auxiliaturus in ordine ad talem executionem. Et hoc vidit S. Thomas q. 5. de peccatis a. 1. in C. ubi ait, perfectiorem esse illam naturam, quæ est capax magni Boni per auxilium exterius obtinendi, quàm quæ solum est capax parvi Boni, absque auxilio exteriori; & hinc infert præstantiam creaturæ rationalis suprâ irrationalem. Ita dicuntur non esse in malo statu Religiosi aliqui, quàmvis non habeant propria Bona ex quibus vivant, si versentur in ea communitate, in qua soleant opulenti simul & misericordes existere, qui suppeditent identidem necessaria. Illa ergo liberalitas Dei in statu puræ naturæ, non esset supernaturalis, sed naturalis, & debita debito indeterminato, adeoque maximè sperabilis, licet non esset cuius determinatè debita, & in quacunque circumstantia, sicut est debitus calor igni, & humiditas aquæ.

746. Ratio vltior, & à priori est, quia ad perfectionem summi Entis pertinet, ut illi debeantur gratiæ à Natura rationali, non solum pro sui productione, & pro suo esse, sed etiam pro suo Bono statu, & pro felicitate, & ut ad hanc petendam stimuletur ipso naturæ instinctu, magis quàm ad petendum motum syderum, aut calefactionem ignis, ad quæ petenda nemo se sentit impelli, sicut ad petendam felicitatis consecutionem. Ex his patet responsio ad objectionem; negatur enim minor propositio, & sequela probationis. Ad Confirmationem negatur minor, juxta datam explicationem.

747. Quod autem etiam in statu puræ Naturæ potentia moralis vitandi omnia peccata includisset aliquem favorem, confirmatur vltiori hoc modo. Nisi enim includeret talem favorem, esset naturaliter impossibilis potentia minima ex naturaliter possibilibus, hoc est, potentia merè physica: atqui hoc repugnat in terminis: ergo &c. Probatur sequela. Potentia merè physica constituitur vltimò per negationem vltioris potentiae, nempe potentiae moralis: ergo negatio hujus potentiae moralis est naturaliter possibilis: ergo potentia moralis est naturaliter & sine miraculo negabilis: ergo non est debita sicut calor igni: ergo quando non negatur, sed conceditur, includit aliquem favorem, qui sine miraculo negari potest.

748. Obijc. 2. Nisi quoad aliquid naturaliter & determinatè debitum debiliior sit natura lapsa quàm pura, fallitur communis intelligentia parabola Evangelicæ, de illo homine, qui à latronibus spoliatus & vulneratus est, ac semivivus relictus; hæc enim communiter applicatur naturæ lapsæ, diciturque homo per peccatum originale spoliatus esse gratuitis, & vulneratus in naturalibus: spoliatio enim & vulneratio narrantur tanquam duo distincta, ac proinde non satis commodè intelligitur (ut à pluribus intelligi solet) quodd scilicet Natura sit vulnerata in naturalibus, quatenus ablata subiectione concupiscentiæ ind-

N n

nat.

nata sit partis superioris ab inferiore divisio, quæ partes cum sint naturales, dicitur vulneratio facta in naturalibus. Non, inquam, satis commodè ita intelligitur, quia sic vulneratio non esset distincta à spoliatio gratiarum, nam ablatio subjectionis erat spoliatio alicujus gratuiti. 72. Per gratuita, quibus homo spoliatus dicitur, intelliguntur ea, quæ supra enumeravimus constituisse statum originalis iustitiæ, supra ea quæ naturæ puræ convenissent. In Naturalibus verò dicitur vulneratus hoc sensu: quia in statu naturæ puræ, per extrinsecam protectionem non fuisset homo tot hostibus impetitus, nec tam vehementer tentatus à concupiscentia per se loquendo: post lapsum autem tentationes & rebellio partis inferioris contra superiorem, esset major per se loquendo (seclusa gratiâ per Christum) adeo ut moraliter necessarium fuisset aliquando peccare graviter: & ex hoc vulnere censetur homo semivivus relictus, hoc est, habens tantum potestatem physicam evitandi mortem, & ideo morti proximus, nisi supervenisset Samaritanus Christus, qui vires ad resistendum auxisset, & sic commensurando vires tentationibus, potentiam moralem ad vitandam mortem, restituisset.

CONTROVERSIA III.

Virum Homo viribus Naturæ confecti possit Beatiitudinem supernaturalem.

749. PRætermisso errore Judæorum, volentium ad consequendam salutem sufficere observantiam legis Mosaicæ, absque legis Evangelicæ gratiâ, hanc verò sine illa non sufficere, contra quem errorem S. Paulus duas scripsit epistolas, unam ad Romanos, alteram ad Galatas.

Fuerunt duo alij extremi errores circa necessitatem Gratia ad consequendam salutem. Primus (contra quem hic agemus) Pelagij, natione Britanni, professione Religiosi in Oriente, viri cateroquin bonæ famæ, ut colligitur ex verbis S. Chrysostomi epist. 4. ad Olymp. illustrem feminam dicentis: de Pelagio, Monacho, magno dolore affectus sum: cogita igitur, quot quantisque coronis digni sunt, qui forti animo in acie steterunt, cum viros tam pie & sanctè, tantæque cum tolerantia videntes abripi, atque in fraudem impelli videamus. Hic, inquam, cum non posset conciliare necessitatem Gratia cum libertate hominis, ut tueretur libertatem, negavit Gratiam, & hoc ipsum inconstanter. Primò enim opinatus est, Adamum creatum esse sicut nos modò nascimur, mortalem, & cæteris miserijs obnoxium; neque mortem esse pœnam peccati; nec Adamum nocuisse posteris suo peccato, nullo item dono supernaturali ornatum fuisse: omnia denique viribus naturæ tribuebat: quas volebat sufficere ad vitam æternam promerendam.

750. Cùm autem à SS. Patribus, præsertim Augustino, acerrimè oppugnaretur, & respondere non posset, ac Anathematis sententiam timeret, palliare voluit errorem suum, concedens aliquas gratias, scilicet gratiam Creationis, & gratiam legis externæ ac prædicationis: item exemplum Christi, & sanctorum. Verùm, cùm virtutibus virgeretur, concessit insuper Gratiam remissionis peccatorum, sed merè extrinsecam, sine infusione Gratia Habitualis. Denique existimant aliqui, eum etiam admisisse gratiam internam, necessariam ad bene operandum; nunquam tamen admisit beneficium speciale Gratia efficacis, nec unquam voluit concedere, Deo magis specialiter esse tribuenda opera bona quàm mala, quoddam æqualiter ad utrumque præster hominibus & potentiam.

751. Postquam contra Pelagium triumphasset S. Augustinus, quidam Massiliensis in Gallia, viri, teste S. Prospero, clari & egregij omnium virtutum studiosi, arbitriati, S. Augustinum nimis multum tribuere Gratia, vimque suppressere vires arbitrij, bono quidem Zelo, sed non secundum scientiam, conati sunt mediâ viâ incedere, & à Pelagio quidem recesserunt in hoc, quòd ipsi admitterent, opus esse gratia Christi contra peccatum originale, contendebant tamen, hominem inchoare negotium Justificationis proprijs naturæ viribus, sine alia gratia, præterquam Creationis & prædicationis, & sic hominem seipsum discernere à reprobis: propter quam doctrinam vocati sunt Sempelagiani, quorum præcipui fautores fuisset sermone datus, Joannes Cassianus, auctor Collationum PP. ac tota cateroquin maximus, contra quem scripsit Prosper librum contra Collatorem (quem tamen ab hoc errore vindicârunt gravissimi scriptores) alter fuit Faustus Episcopus Rhegiensis, qui septuaginta fere annis post Cassianum vixit. Hægo docuerunt, (vel dicuntur docuisse) liberum arbitrium sine vlllo dono supernaturali, solis viribus naturalibus posse initium præbere Gratia, hoc est, ponere meritum, cujus intuitu Gratia per Christum daretur, & sine quo non daretur, adeoque ad illud primum meritum non esse necessariam gratiam prævenientem, nec nisi per illud naturale meritum discerni salvandum à non salvando; quam doctrinam etiam ad infantes sine baptismo, & sine vlllo opere bono proprio decedentes, extendebant; hos enim volebant discerni ab illis qui cum baptismo decedunt, quòd hi prævisi sint bene operaturi, si superviverent, non item illi priores; & propter hæc opera conditionatè tantum, & nunquam absolute existura, dixerunt Deum procurare his baptismum, & non illis. Fundamentum ita opinandi fuit, quòd alioquin Deus esset acceptor personarum.

752. Non procul ab istis recessit præcedente sæculo Michael Bajus, in Lovaniensi Academia Doctor, Professor & Cancellarius, asserens, Naturæ humanæ ut innocentis, seu, dum est in statu

tu innocentia, debent omnia auxilia ad actus salu-
lares cuiuscunque generis, & hæc quidem ap-
pellatur supernaturalia, volebat tamen ita esse de-
bita naturæ innocentia, ut nec per divinam poten-
tiam negari possent. Naturæ verò lapsæ aiebat
esse indebita, & ita necessaria, ut sine illis sit phy-
sicè necessitata ad malè operandum. De huius
D. censuram jam supra aliquid diximus, qui lau-
dandus ex eo est, quòd cum debita Sedis Aposto-
licæ observantia revocaverit propositiones, ut ius-
tus erat.

753. Contra hos errores cum alij viderent
efficaciter pugnatum esse, lapsi sunt in errorem
extremè oppositum, asserentes, nec Bona opera
liberi arbitrij quidquam prodesse, nec Mala obesse,
sed solam Prædestinationis gratiam salvare eos
quos Deus eligit; contra Decretum Reproba-
tionis damnare quos rejicit, quidquid tandem
agant homines; & sic sub specie & titulo Gratiæ,
institerunt fatalem necessitatem, vocatque sunt
(satis ineptè) *Prædestinati*. Hunc tandem erro-
rem cum insigni auctario amplexi sunt hæretici
nostri temporis, addentes, per peccatum origina-
le liberum arbitrium esse omnino destructum, de
quibus videri potest Stapletonus, declarans eorum
differentias, & asserens, moderatores solum ne-
gare libertatem in prima Justificatione. Denique
Janfenistæ admiserunt quidem Merita & Demeri-
ta, sed negarunt, ea fieri cum libertate indifferen-
tia, quos alibi rejecimus.

754. Dicendum est cum doctrina Catholi-
ca. 1. Potentiam antecedentem consequendi vi-
tam æternam, non haberi nisi per Gratiam Chri-
sti. Probat 1. ex S. Scriptura Jo: 6. *Nemo po-
test venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit il-
lum.* 2. ad Cor. 3. *Non quod sufficientes simus cogita-
re aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra
ex Deo est.* Jo: 15. *Sine me nihil potestis facere.* Ad
Ephes. 6. *Induite vos armaturam Dei, ut possitis sta-
re adversus insidias diaboli.*

Probat 2. ex Concilio Arausicano, Mi-
levitano, Africano, & Tridentino, quæ hoc De-
finierunt.

755. Probat 3. Ratione; supponendo
ex dictis lib. 1. quòd Visio Beata sit intrinsecè &
quoad substantiam supernaturalis, & sit præmium
operum bonorum: atqui præmium ordinis super-
naturalis, non est proportionatum nisi cum acti-
bus meritorij ejusdem ordinis, quales non sunt
actus elicibiles viribus naturalibus. Ulterius,
actus voluntatis supernaturales petunt connatu-
raliter procedere ex cognitione supernaturali &
ejusdem ordinis, ut ex dicendis constabit.

756. Dicendum 2. Non solum ad poten-
tiam antecedentem, seu ad ipsum *Possè*, requiritur
Gratia Dei, sed insuper est specialis gratia, quæ dat
ipsum *Bene operari*. Ad Philip. 2. *Deus est, qui
operatur in nobis velle & perficere.* 1. ad Cor. 4. *Quis
enim te discernit?* Ad Rom. 7. *Perficere non invenio.*
Concil. Arausicanum 2. can. 8. *Divini, inquit,
est muneris, cum & recta cogitamus, & pedes nostros*

à falsitate & injustitia tenemus, quoties enim bona agi-
mus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, ope-
ratur.

757. Cæterum, distinctius hanc veritatem
docuit contra Pelagium, S. Augustinus lib. 1. de
Gratia Christi c. 5. & c. 14. circa verba ex Apostolo
ad Philippenses relata, sic loquens: *Non ait* (Apo-
stolus) *Deus est, qui operatur in nobis posse, tanquam
ipsi jam velle & operari per seipsos habeant, nec in his
duobus adjutorio ejus indigeant, sed ait: Deus est,
qui operatur in nobis velle & perficere.* deinde pon-
derans verba Christi Jo: 6. *Omnis qui audit à Pa-
tre meo, & didicit, venit ad me.* sic subjungit: *Si
enim solum posse nostrum à Gratia servaretur, ita dice-
ret Dominus: Omnis qui audit à Patre, & didicit,
potest venire ad me: non autem ita dixit, sed: omnis
qui audit à Patre, & didicit, venit ad me.* Et pau-
lò post: *Non est autem, inquit, consequens, ut qui
potest venire, etiam veniat, nisi id voluerit, atque fe--
cerit: sed omnis qui didicit à Patre, non solum potest
venire, sed venit. ubi jam & possibilitatis profectus, &
voluntatis affectus, & actionis effectus est.*

758. Idem S. Pater duplici argumento ve-
ritatem hanc comprobavit. Primum sic formari
potest. Quidquid specialiter à Deo precibus fla-
gitamus, est gratia specialis; sed ipsam operationem
specialiter flagitamus: ergo &c. Minor probatur
ex Apostolo dicente, se orare Deum pro illis ad
quos scribebat, ne quid mali faciant, & ut, quod
bonum est, faciant. Non enim ait se orare, ut
possint bonum facere, sed ut bonum faciant.

Secundum, sumitur ex speciali gratiarum
actione, quam facimus pro ipsa bona operatione.
Sic Apostolus ad Ephes. 2. scripsit, se non cessare
gratias agere Deo pro eo quòd crediderint: non
autem agimus gratias speciales, nisi pro eo quòd
est beneficium speciale: ergo ipsa bona operatio
est beneficium speciale.

Quomodo autem satisfaciendum sit difficul-
tati quam movent Hæretici superius adducti, in-
voluit gravissimam illam controversiam, in quo-
nam consistat Efficacia auxiliorum, de qua scribere
vetitum est à Sede Apostolica, ut jam superius
monuimus: in Scholasticis Lectionibus licet cui-
vis, salvâ fide & charitate, in suo sensu abundare.
Sententiarum verò diversitas videri potest in libro
P. Gabrielis Henao, cujus Titulus est: *Scientia
Media, Historicè propugnata.*

CONTROVERSIA IV.

*Utrum Gratia Necessaria ad consequen-
dam salutem nemini denegetur.*

759. **Q**UÆRITUR 1. An, & quomodo respectu
parvulorum decedentium cum peccato
originali, verificetur, quòd Deus providerit suffi-
cientia salutis Media, quantum erat ex parte sua,
licet ex defectu causarum secundarum, quem Deus
non tenetur impedire, frequenter contingat, ut
illis talia Media non applicentur.

N n 2

Re. 1. Omnino

759. 1. Omnino etiam de his parvulis verificari: colligitur ex S. S. 1. ad Timoth. 2. *Mediator Dei & hominum homo Christus JESVS, qui dedit redemptionem seipsum pro omnibus*: Ibid. *Deus vult omnes homines salvos fieri*. &c. & c. 4. *Speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium*. quæ particula demonstrat, etiam infidelibus præparata esse auxilia sufficientia ad salutem. Jo: 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*.

760. 2. Hoc à Theologis communiter sic explicari, quod Deus instituerit media, quæ si per causas secundas applicarentur infantibus, prout absolute possent applicari, salvarentur. v. g. possent parentes, & alij homines, potentia physica & naturali ea declinare, ex quibus præmatura mors infantis oritur, quod indicavit S. Prosper lib. 2. de vocat. Gent. c. 23. dicens: *quid gratia si bene videretur eorum parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur*.

761. 3. Fatendum tamen esse, plurimos infantes, & perpetuo amentes, qui infantibus comparantur, carere auxilio moraliter & proximè sufficiente. agnovit hoc S. Augustinus pluribus locis, specialiter in lib. de Grat. & lib. arbit. c. 22. & ep. 150. & 107. & lib. de bono persever. c. 12. dicens: *Quid dicam, quod parvulus aliquando, antequam illi per ministerium baptizantis succurri possit, expirat*. & alibi, lib. de nat. & Gra. c. 8. Ego, inquit, dico, parvulum natum in eo loco, ubi ei non potuit per Christi baptismum subveniri, morte præventum idcirco talem fuisse, id est, sine lavacro regenerationis exiisse, quia esse aliud non potuit. Id est, attento cursu naturali causarum secundarum. Qui locus confirmat id quod dixi lib. 1. de Prædestinatione, eam videlicet esse alligatam certis medijs. Nam si per causas secundas aliter dispositum fuisset, ille infans non fuisset à Deo à baptismo impeditus, sed grato admissus & salvatus: ergo e contrario, si baptismus aliorum infantum fuisset per causas secundas naturaliter impediendus, Deus id permisisset, & sic non fuissent salvati: ergo eorum salus & prædestinatio fuit à Deo alligata huic cursui rerum.

762. Queritur 2. De adultis, utrum nulli eorum desint auxilia interna moraliter sufficientia, ut possit salutem consequi. Et quidem non queritur, utrum singulis momentis habeant hujusmodi auxilia: certum enim est, non habere: sed questio concipienda est, humano modo, & attento communi rerum cursu, nempe de illis, qui aliquandiu utuntur ratione circa objecta honesta & inhonesta.

Dicendum est primò. Omnibus hominibus semel justificatis, etiam illis qui reprobi sunt, datur auxilium moraliter sufficiens ad consequendam salutem. Probatur ex Concilio Arausicano can. 22. & ex Trident. sess. 6. c. 13. estque Conclusio fide certa. Ratio est, quia Gratia justificans est vera amicitia cum Deo: atqui de ratione veræ sinceræque amicitiae est, ne amicus constituat

amicum in morali necessitate recedendi ab amicitia, quod tamen fieret, si Deus negaret amicum moraliter sufficiens ad servandam amicitiam. Ergo &c.

763. Confirmatur. Gratia est radix salutis supernaturalis, & hi ordinantur ad salutem supernaturalem salutares, qui non possunt haberi sine cognitione supernaturali: ergo ne haberi sint frustranei, exigit Gratia à largitore Gratiæ, ut procuret illas cogitationes tempore opportuno, quæ requiruntur, & moraliter sufficienti ad consequendam salutem.

764. Dicendum 2. Gratia moraliter sufficiens datur omnibus peccatoribus, etiam reprobis ad resurgendum, si post commissum peccatum aliquandiu cum usu rationis supervivant. In certa sententia contra quosdam apud Tannetum, quamvis & hi in bonum sensum trahi possint. Probatur ex 2. Petri 3. *Patienter agi Deum per vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad penitentiam reverti*. Ex quo loco potest etiam ratio delinere. Nempe, cum homo per peccatum mortale meretur penas inferni, & dignus sit, qui poenitentia monis permittatur, qui utique non parceret, nisi cohiberetur, hæc ipsa inhibito, vitæque promissio, est beneficium maximum, & effectus pietatis divinæ, utique non in alium finem, quæ ut detur occasio agendi poenitentiam. Præterea, si aliquandiu post peccatum homo utatur ratione, non est moraliter possibile, quin occurrat memoria peccati commissi, & illius feditas, quæ homini elevato representatur per cognitionem proportionatam statui, hoc est, supernaturalem, licet peccatum commissum est contra Deum ut auctorem supernaturalium (de alijs peccatis constabit ex retrov. seq.) quæ cognitio cum sit Medium ordinatum ex natura sua ad finem supernaturalem, pertinet ad Providentiam Dei, non permittitur, nisi homo tali cognitioni cooperetur, deficiat vitæ remedium justificationis.

765. Itaque, tametsi non omnes peccatores post peccatum actu accipiant gratiam proximè sufficientem ad justificationem, omnibus tamen offeritur aliquo modo, quatenus Deus dat illis aliquam gratiam ad faciendum aliquod opus bonum, v. g. Eleemosynam, orationem &c. quod opus si faciant, est Deus paratus illuminare vultum vel ad Contritionem eliciendam, vel ad accipiendum Sacramentum Poenitentiae.

766. Addit Card. Pallavicinus, libi probabile videri, Deum qui est adiutor in opportunitatibus, nunquam negare sufficientem excitationem supernaturalem, quoties occurrit aliquod objectum proportionatum, si videt illam cognitionem fore ultimam vitæ illius hominis, prout illud: *Ego sto ad ostium & pulso*. & sic de ceteris de bonitate & misericordia Dei.

767. Restat, ut videamus de Infidelibus, & illis quidem, quibus nunquam Evangelium prædicatum est, sine vlla eorum culpa. De his est specialis difficultas, quia nunquam accipiunt

CONTROVERSIA V.

Quo sensu verum sit: Facienti quod in se est, Deus non denegat Gratiā.

perunt auxilium sufficiens ad credendum actū supernaturali: nam *fides est ex auditu*, ad Rom. 10. & sine fide est impossibile salvari: ergo non appareat, quomodo accipiant sufficiens auxilium ad consequendam salutem. Imprimis autem

Advertendum est, ex illis Scripturæ testimonijs, quibus Christus dicitur mortuus pro omnibus, redemisse omnes, &c. non plus evinci, quam de Infantibus paulò antè dictum est, nempe esse proviſum illis generali quadam providentiā. Verum Theologi ex proprijs principijs vterius procedunt, & pro adultis ratione præditis, volunt esse parata auxilia interna, nec posse vllum illorum sine propria culpa carere vitā æternā propter solum originale, adeoque quemvis adultum vel consequi beatitudinem supernaturalem, vel damnari ex personali & proprio peccato. Ratio huius est, quia suppositā redemptione Christi universali omnium, & etiam voluntate Dei providendi omnibus iuxta capacitatem suam, aliter circa adultos ac circa parvulos philosophandum est, ut post alios notat Suarez hic n. 8. quia adulti evaserunt capaces propriæ præparationis & dispositionis ad participandam Christi redemptionem, & hæc ab illis exigitur: ergo ut dicatur Christus illis promeruisse auxilia sufficientia, quæ non possunt per causas secundas impediri, cū immediate procurentur & infundantur à Deo, debent ea accipere, alioquin non rectè dicerentur à Scriptura inexhaustibiles.

768. Est autem explicatu nonnihil difficile, quomodo respectu omnium Infidelium hoc verificetur. Quidni enim possint aliqui mori, postquam aliquantisper servarunt legem Dei circa materias graves per actus merè naturales quoad substantiam, antequam actum supernaturalem fidei elicerent, cujus nullam occasionem habuerunt: ergo tales carebunt æternā beatitudine supernaturali, nec tamen ad penas inferni damnabuntur: ergo parvulis accensebuntur.

769. Dicendum est 3. In omnium Infidelium adiutorium potestate morali constitutum est, ut æternum salventur. Ita cum S. Thoma Theologi. Colligitur imprimis ex Jo: 1. *Illuminat omnem hominem*. subintelligendo, nisi ipse sponte ponat obicem. Item ex varijs exemplis, quæ paulò post ex S. Scriptura referemus. Deinde traditur à SS. PP. præsertim Prospero lib. 2. de vocat. Gent. c. 16. qui cū descripsisset externas & internas gratias, quibus vocantur, subiungit. *Quæ opulatio per innumeros modos, sive occultos sive manifestos, omnibus adhibetur, & quod à multis repudiatur, ipsorum est nequitia, quod à multis suscipitur, gratia est divina & voluntatis humana.* S. Dionysius de Celesti Hierarch. c. 9. Divini, inquit, luminis pelagus paratum semper est, & paret omnibus ad participandum.

Difficultati in contrarium allatæ satisfiet explicando celebre illud effatum Theologicum. *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam.* Sit ergo

Axioma hoc potest habere diversos sensus, & omnes quidem veros, sed non omnes sufficienti ad præsens institutum. Omnis pluribus quæ videri possunt apud Ripaldam 10. 1. de ente supernaturali. d. 20.

770. Prima Expositio est P. Ripaldæ, quod habenti sufficientia principia naturalia ad opus honestum, semper adiunt antecedenter etiam principia supernaturalia, ita ut homo simul eliciat duos actus, vnum naturalem, alterum supernaturalem, nec possit alterum ab altero seungere.

Contra hanc explicationem est primò, quia sententia asserens huiusmodi concomitantiam actus naturalis cum supernaturali, commutiter à Theologis non approbatur. Certè, ut verum id esset, nunquam credam in mentem venisse illis qui primi hoc axioma usurparunt.

Contra est. 2. Quia vel esset sensus, quod facienti duos illos actus, Deus non denegat Gratiā ad actum supernaturalem: & sic evaderet sensus manifestè nugatorius, ac identicus, ut ex terminis apparet; Vel esset sensus: facienti homini actum naturalem, Deus non denegat gratiam ad eliciendum actum supernaturalem, & sic actus naturalis haberet prioritatem naturæ respectu actus supernaturalis, quod nec Ripalda admittit.

771. Secunda explicatio est aliorum, sensum illius axiomatis esse, quod homini habenti omnia requisita ad eliciendum actum naturalem honestum, Deus defacto semper offerat vires sufficientes ad eliciendum actum supernaturalem loco naturalis.

Sed contra. Hoc modo illud axioma non explicatur, sed in aliud mutatur. Sensus enim esset: Homini habenti vires ad actum naturalem, Deus dat gratiam ad actum supernaturalem: Axioma autem dicit; *Facienti*: non; *potenti facere*.

772. Tertia explicatio est P. Esparza lib. 4. de Grat. q. 7. Art. 1. ad. 4. sensum esse, quod homini adhibenti conatum, qui sufficeret ad producendum actum naturalem, si non offerretur Gratia, Deus offerat concursum ad actum supernaturalem. Conanti, inquit, quantum est in se, ut laudabiliter viatur objectorum aliarumque causarum naturalium occurrere impellentibus ad bonum morale, Deus non denegat prævenientem Gratiā supernaturalem, vi cuius conatus alioqui futuri naturales NB. ac inanes, evadant intrinsecè supernaturales. Hanc explicationem ego non capio. Nam, ut taceam, quod non videatur coherere cū alia ejusdem Auctoris doctrina, quod actus omnis supernaturalis habeat objectum formale supernaturale, non attingibile ab actu naturali, hoc inquam,

N u 3

quam,

quam, præterito, quid quæso est ille conatus? non potest esse aliud quam aliquis actus. Quæro: vel est actus naturalis, vel supernaturalis: si primum, coincidit hæc explicatio cum prima: si secundum, coincidit cum secunda.

773. Deinde, ille conatus debet consistere in aliquo actu voluntatis rationalis, ut patet ex verbis hujus auctoris. Quæro, ex quali cognitione procedat? an ex naturali? atqui cognitio naturalis non sufficit, ut Deus possit loco actus seu conatus naturalis, determinare ad actum supernaturalem voluntatis, nam hæc præsupponit cognitionem supernaturalem: ergo vel ponetur ille conatus naturalis solus, vel Gratia intrinsecè supernaturalis præveniens infundetur pro signo posteriore naturæ ad illum conatum naturalem, & si homo cooperetur, conjungat actum supernaturalem cum naturali: ergo non faciet gratia, ut conatus illi alioquin futuri naturales, evadant supernaturales, sed ut conjungantur cum naturalibus: & gratia sic erit pedissequa ad opus naturale, quod tamen ibidem negat Esparza.

774. Quarta explicatio aliorum, quam etiam approbat P. Esparza, est: Facienti quod in se est viribus gratiæ, quam jam habet, Deus non denegat aliam Gratiā ad alios actus supernaturales.

Sed contra est. Quia licet hoc sit verissimum, nisi tamen axioma alium sensum habeat, non servit ad explicandum, quomodo sit in potestate hominis adulti infidelis, habere primam gratiam supernaturalem, quæ defacto multis non datur, quia scilicet non fecerunt quod in se erat: ergo hoc quod est: *facere quod in se est*; sonat aliquid prævium & præcedens ipsam acceptionem primæ gratiæ supernaturalis: hoc autem non potest esse nisi actus intrinsecè & quoad substantiam naturalis: ergo actui naturali debet aliquo modo adscribi posse potestas proxima & expedita habendi (vi præsentis Decreti divini) gratiam intrinsecè supernaturalem: quamvis negari non debeat, etiam illum actum naturalem intrinsecè, esse supernaturalem extrinsecè, quatenus procedit ex cognitione naturali congrua, collata per merita Christi, ut infra declarabitur.

775. Dicendum igitur est, & insistendum communi intellectui axiomatis: Homini per actus naturales aliquandiu servanti Legem Naturalem, Deus ex sua Bonitate infallibiliter providebit Gratiā supernaturalem, moraliter ac proximè sufficientem ad consequendam salutem, si illi homo velit cooperari. Non est autem sensus, quasi illa naturalis observantia sit conditio sine qua non conferretur Gratia supernaturalis: certum enim est, quod Deus multis etiam non observantibus legem naturalem, ex sua infinita misericordia offerat hujusmodi Gratiā supernaturalem. Sensus ergo solum est, quod homini sic observanti nunquam gratiam denegat. Ita plurimi DD. quos refert & sequitur P. Suarez, Lessius, Lugo, Arriaga, Oviedo, Pallavicinus. Est autem im-

primis S. Thomæ q. 14. de Verit. 4. 11. ad 1. dicens: *Si aliquis in sylvis nutritus, ductum rationis naturalis sequeretur in appetitu boni & fugā mali, certissime est tenendum, quod Deus ei vel per internam inspirationem revelaret necessaria, vel ad eum præceptorem dirigeret.* & alibi in 2. dist. 28. q. 7m. 4. 4. ad 4. dicit: *etiam ad fidem habendam aliquis se præparare potest per id quod in ratione naturali est: unde dicitur, quod si quis in barbaris nationibus quod in se est faciat, Deus sibi revelabit illud, quod est necessarium ad salutem, vel inspirando, vel doctorem mittendo.* Hæc S. Thomas, cujus rei exempla non desunt in sacris litteris, Act. 8. Misit Deus ad Eunuchum Philippum, & quidem miraculosè. Act. 10. Misit Deus Petrum ad Cornelium. Act. 16. Succurrit Deus Macedonijs &c.

Remanet tamen adhuc aliqua dissensio inter auctores circa modum, quo observatio illa naturalis mandatorum conducatur ad obtinendum auxilium supernaturale.

776. Prima Sententia est, Infidelem per illos actus mereri de congruo auxilium supernaturale: & quidem aliqui eò progressi sunt, ut dixerint, illa opera naturalia fieri sine vlla gratia per Christum. Verum hæc sententia non potest tolerari post Trident. sess. 6. c. 5. dicens, initium justificationis sumi à vocatione Dei, qui nullis præcedentibus meritis Deus hominem excitat. Itaque P. Vasquez & cum eo quidam alij dicunt, illud meritum de congruo procedere ex gratia per Christum, quæ non est supernaturalis quoad substantiam & intrinsecè, sed tantum extrinsecè: de quoad modum. Hanc sententiam rejiciemus cap. seq.

777. Secunda Sententia est, illa operaturalia solum conducere indirectè & negativè, removendo prohibens, hoc est, removendo peccatum, quod si poneretur, posset esse impedimento Gratia fidei. Ita Suarez lib. 4. c. 17. n. 3. & Lugo & alij.

Sed contra est. Nisi enim ipsa positiva bonitas & laudabilitas actus aliquo modo condant, aut attendatur à Deo, sed præcisè hoc quod est: *Non esse positum peccatum*: sequeretur, eodem modo fore denique conferendam Gratiā supernaturalem, si quis dormiendo, vel per summam inconsiderantiam peccata gravia evitaret: sic autem non explicaretur: *Facienti quod in se est*, quibus sanè verbis aliqua laudabilis actio indicatur.

778. Confirmatur ex verbis S. Pauli, à quibus axioma illud fundatur, dicit enim Apostolus, inexcusabiles esse philosophos gentes, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, & gratias egerunt: atqui hoc verum plus est, quam præcisè non peccasse; & sonat manifestè positivam conducentiam, quam habuisset glorificatio & gratiarum actio ad consequendam gratiam supernaturalem vtilem ad salutem.

779. Tertia Sententia est, quam indicant nec improbat P. Arriaga d. 41. s. 4. n. 17. S. vbi nar-

ante hominem per illos actus naturales promereri de congruo non quidem donum aliquod supernaturale, sed aliquod naturale physicum, scilicet, talem rerum cursum ac dispositionem, ex qua incidat ille homo in predicatorem fidei, cuius auditioni est à Deo annexa Gratia supernaturalis proximè sufficiens ad fidem.

Sed contra est, quia vel hac sententia vult, quod Deus pro premio det præcisè illam colloca-tionem in talibus circumstantiis, in quibus audiat prædicatorem, vel vult, quod Deus pro premio ponat in talibus circumstantiis & procuret prædicationem auditionemque ut connexam per suum decretum cum auxilio supernaturali. Si dicatur primum, contra est: quia illæ circumstantiæ, se-cundum connexionem cum auxilio supernaturali, nul-lo modo sunt estimabiles: ergo non sunt præ-mium; ne quidem merito naturali proportiona-tum. Si dicatur secundum, jam tribuitur actibus naturalibus vis merendi aliquod auxilium super-naturale, quod tamen hac sententia vult decli-nare.

Confirmatur. Hac ratione posset etiam ad-mitti, quod actu merè naturali possem de con-gruo, immò & de condigno mereri mortem in il-lis circumstantiis in quibus mors esset connexa cum gratia finali: est enim mors secundum se spectata aliquid merè naturale: & tamen omnes supponunt mortem ut connexam hic & nunc cum ista Gratia, non posse esse premium actus na-turalis, nempe quia involuit donum perseveran-tiæ finalis.

780. Quarta explicatio est P. VVadingi de Incarn. d. 4. dub. 7. n. 64. opera naturalia condu-cere tanquam removens prohibens, hoc est, fa-ciendo ut homo non sit difficilis ad consentien-dum gratiæ supernaturali. Hac explicatio of-fendit quidem, quomodo bona opera naturalia possint conducere ad salutem, & non per modum meriti, sed non bene accommodatur axiomatici de quo agimus. Deus enim facienti quod in se est, daret infallibiliter gratiam supernaturalem, etiam si homo per opera naturalia nullam facilitatem in-duisset. Deinde si æquivalentem facilitatem ex naturali indole & complexione habuisset, si ta-men nulla opera bona posuisset, non hoc ipso in-fallibiliter gratiam acciperet: ergo Deus non attendit præcisè talem facilitatem.

781. Quinta explicatio est, quam obiter indicat P. Lessius Opusc. de efficacia Grat. in appendi-ce ad decimum cap. n. 33. & ex professo tradit Card. Pallavicinus, his verbis. *Quamvis, inquit, opera illa nempe facta ante primum auxilium superna-turale disponens ad fidem non habeant congruita-tum meriti in ordine ad premium supernaturale in eo sensu, ut vel totaliter vel partialiter commensurentur cum illo, habent tamen aliam congruitatem, quæ in eo sita est, primò quidem quod congruum est Deo, uti sua liberalitate, elevando genus humanum ad maxi-mum bonum: & hac congruitas fundatur in ipsa bo-nitate divina, & nullo modo in merito nostro. Rur-*

sus congruum est Deo, ut quando non vult omnes pro-ximè elevare ad tale bonum, seligat potius illos, qui secundum suas vires melius operantur, non quia id ipsi mereantur positivè, sed quia congruum est Deo, seligere potius meliores quam minus bonos. Eodem modo si Rex ex sua humanitate vellet ducere uxorem aliquam ex privatis subditis, congruum esset, ut eligeret melius moratam, non quia femina illa per tales mores meruisset connubium regium, sed quia supposita illa liberalitate decreta in genere, prudenter ager Rex, si meliorem se-ligat in illa classe. Porro ad hanc congruitatem defecto infallibiliter attendendam, vult Pallavici-nus cum alijs RR. teneri Deum ex pacto cum Chri-sto inito, ut infra declarabitur.

782. Hanc doctrinam reipsa veram esse existimo. Opus tamen est majore declaratione, ne videatur nimium recedere à communi sensu Theologorum, qui in nostris operibus moralibus non agnoverunt hactenus aliam congruitatem in ordine ad obtinendum aliquem favorem præter-quam Meriti, aut Removens prohibens. Cum er-go ratio meriti non possit in operibus naturali-bus admitti in ordine ad gratiam supernaturalem obtinendam, reducenda est omnis congruitas il-lorum operum ad remotionem prohibentis seu impedimenti.

Quod attinet ad exemplum Regis, illud non videtur esse ad rem; reverà enim virtutes mo-rales famina etiam infimæ conditionis, merentur de congruo conjugium Regis humani: si enim virtutes morales merentur de condigno felicitatem naturalem, cuius vix particula est dignitas re-gia, quidni de congruo mereantur conjugium Re-gis? Verum, quidquid sit de hoc, si opera mora-lia talis puellæ non sunt meritum de congruo, etiam illis neganda est omnis alia congruitas præ-terquam Removens prohibens.

783. DICO ergo. Congruam ipsamque laudabilitatem quæ talem operam moralium naturalium, ante fidem factorum, habere se ut Removens prohibens in ordine ad consequen-dam elevationem per auxilium supernaturale fi-dei. Pro legitimo Conclusionis intellectu.

Notandum 1. Impedimenta prohibentia pro-ductionem alicujus effectus, non semper eodem modo obstat, ac proinde non semper eodem modo esse removenda; sed modo diverso, pro diversitate modi quo obstant. Nam primò, ali-qua obstant secundum se spectata, & secundum suam existentiam, ita ut effectus non sit compos-sibilis, saltem naturaliter, cum tali existentia, ac proinde tale impedimentum debet simpliciter & secundum suam existentiam removeri per sui ne-gationem, sic v.g. agens fortius est impedinen-tum effectus physici, ac proinde pro priori natu-ræ requiritur negatio talis agentis fortioris, & illa negatio vocatur Removens prohibens. Alia verò impedimenta sunt, quæ non obstant secun-dum suam entitatem & existentiam (immò obstant sæpè antequam habeant ullam existentiam) sed obstant in ordine ad æstimationem agentis ex in-tentione,

tentione, hoc est, sunt talia quæ absterrent agens ab aliqua operatione. Hæc porro impedimenta non semper debent removeri secundum se, & quoad existentiam, sed possunt alio modo removeri, nimirum in ordine ad æstimationem illius agentis, per positionem alicujus quod efficit, ut illa res non amplius ita absterreat, sicut absterrebat, si illud aliud positum non esset. Declaratur in exemplo. Malitia peccati est res Deo adeo exosa, ut in actu primo vehementer absterreat Deum à permissione illius, adeo ut Deus illud permittere non posset, nisi posset inde majus bonum elicere. Illa autem conducibilitas peccati ad majus bonum, non potest villo modo esse motivum alliciens ad procurandum peccatum, ut lib. 1. de Prædest. probatum est, & docent Fasolus, Arrubal, Lugo, alij. Nihilominus illa ipsa conducibilitas habet defacto rationem *Removentis prohibens*, non quod removeat ipsam entitatem peccati aut malitiam moralem, immò hanc essentialiter supponit, & cum illa identificatur, sed quod removeat malitiam peccati in ordine ad æstimationem Dei; hoc est, quod faciat, ut Deus non tantopere (nostro concipiendi modo) absterreatur à permitiendo peccato, ut ibid. explicatum est.

784. Notandum 2. Hominem, qui per peccatum Originale perdidit beneficium primæ elevationis, redditum esse positive indignum secundâ elevatione, adeo ut meritis Christi opus fuerit ad secundam elevationem obtinendam: quæ tamen merita non tollunt in ordine ad æstimationem Dei, indignitatem illam peccati originalis omnino & totaliter. nam defacto plurimi non elevantur actualiter, & carentia hujus elevationis est pœna peccati originalis: ergo peccatum Originale est defacto impedimentum secundæ elevationis in illis hominibus.

785. Notandum 3. Indignitatem ad alicujus favoris consecutionem, suscipere magis & minus: nam qui plura habet peccata, est magis indignus, tamen ille, qui vel vnicum habet, sit simpliciter indignus: item ex duobus habentibus æqualia peccata, ille est minus indignus, qui insuper habet aliqua bona opera moralia, sive supernaturalia, sive naturalia, quæ proinde licet non faciant simpliciter ex indigno dignum, nec etiam villo modo minuunt physicè indignitatem, quia non tollunt peccatum, minuunt tamen in æstimatione apud Deum ipsam indignitatem, seu, faciunt ex magis indigno minus indignum quoad æstimationem, & in ordine ad negandos vel concedendos favores, quatenus faciunt, ut illa indignitas minus absterreat Deum à benefaciendo.

Confirmatur. Si enim Gratia se accommodat Naturæ, ita ut propter perfectiones naturales phylicas majores, si cætera sint paria, diversa quoque dona supernaturalia distribuuntur, ut dictum est in tract. de Angelis, quidni opera naturalia moralia hoc habeant, ut cæteris paribus removeant in æstimatione Dei indignitatem ali-

quantulum, modo explicato? certum enim est, quod illa opera aliquo modo placeant Deo: ergo aggregatum ex homine cum talibus operibus minus displicet, quam aggregatum ex homine cum negatione talium operum.

786. Ex his emergit probatio & declaratio Conclusionis nostræ. Dicimus enim, in homine gentili non solum peccata personalia, sed etiam originale, esse impedimentum removibile, in ordine ad consequendam elevationem per gratiam supernaturalem, & beneficio hujus ad consequendam justificationem ab illis peccatis. Quia enim Gentilis aliquandiu servat totam legem præviter obligantem, & quantum in se est, amicitiam Dei naturalem, nolendo cum graviter offendere, talis, inquam, comparatur cum qui graviter peccant, est hoc ipso minus indignus, ut in terminis loquuntur Molina & Lessius: ergo in æstimatione Dei removeat peccatum originale etiam antedecenter ad justificationem hoc est, ut non ita absterreat ab elevatione proximi, ut absterrebat, si talibus operibus non esset repletum. Potuit ergo Deus pro arbitratu suo tamen ex meritis Christi certum terminum bonorum operum naturalium, quibus positus nolit amplius absterri à peccato originali, ut neget elevationem proximam, hoc est, auxilium intrinsecè supernaturale.

Pari modo, si Gentilis jam semel, interque peccasset, si tamen deinde serio proponeret emendationem vitæ, veriam speraret, cæpæ promereri bene vivendo aliquandiu finem, dubitandum non est, quod denique elevaretur, quia etiam personale peccatum est ita removibile. Et ita reipsa sentit Suarez. lib. 4. c. 17. n. 21.

Ex dictis colligitur, quàm verè dicere Augustinus lib. 1. ad Simplicianum c. 2. quod una electionem ad Gratiâ, nihil in nobis peccatis, nisi aut majus ingenium, aut humanæ disciplinæ, aut minora peccata. hæc enim talia sunt, quæ possunt modo dicto removeare peccata.

787. Objic. 1. Congruitas hucusque declarata non infert infallibilitatem effectus, sed nullum meritum de congruo infert infallibilitatem præmij: atqui est infallibiliter verum axioma, quod facienti quod in se est, Deus non denegat Gratiâ: ergo præter hanc congruentiam aliud fundamentum assignandum est, ex quo illius axiomatis veritas comprobetur. R. Fundamentum fuisse assignatum Controversiæ procedente, ubi probatum est, Deum defacto decessisse omnibus offerre auxilium sufficiens ad salutem. Congruentiam hujus Decreti assignat Card. Pallavicinus, n. 100. Si enim post peccatum originale natura humana non fuisset dempta, debuissent homines habere vires naturales phylicas ad vitandam pœnam æternam, immò verisimile est, quod ex Dei misericordia habuissent etiam vires morales. Si ergo fecissent multa opera bona naturalia, vique per ea promeruisent, ut Deus abrumperet illis vires

sicque auferret ex periculo committendi peccatum mortale, atque incurrendi poenam sensus. At, postquam Christus obtinuit iterum elevationem Naturæ ad finem supernaturalem, lege infallibili constitutum est, ut nemo adultorum evitaret poenam inferni, quin consequeretur visionem supernaturalem Dei: & quoniam merita naturalia non extenduntur ad hanc, ideo neque possunt extendi ad evitacionem inferni. Vltimus, Christus Dominus utique noluit hoc suum beneficium aliquibus nocere, ne quidem per accidens; atqui noceret, si ij qui diu servarent naturaliter legem, nec possent amplius promereri evitacionem inferni per maturationem mortis, nec etiam ad auxilia supernaturalia consequenda disponi; dicendum proinde est, quod Christus impetraverit à Deo, ut quoties darentur illa bona opera naturalia, per quæ posset quis in natura non reparata mereri evitacionem inferni, Deus ex meritis Christi daret gratiam sufficientem ad obtinendam evitacionem inferni, etiam ut connexam cum Beatitudine supernaturali: hoc autem fieri non potest nisi per auxilia supernaturalia, ut omnes fateantur: ergo congruum erat, ut Deus hæc infallibiliter decerneret illis qui aliquandiu legem naturalem servarent.

788. Objic. 2. Aliqui SS. PP. videntur hanc infallibilem consecutionem auxiliorum supernaturalium per opera naturalia negare. R. cum P. Ariaga & Card. Pallavicino, SS. Patres negasse infallibilem consecutionem Gratiæ Efficacis: disputabant enim contra Massilienses, qui volebant, ob merita naturalia dari infallibiliter Gratiæ Efficaces. Nos autem solum asserimus de auxilijs mortaliter sufficientibus, præscindendo ab efficacia & inefficacia.

789. Objici solet 3. canon. 4. Concilij Araticani, dicentis: Si quis, ut à peccato purgemur, voluntates nostras Deum expectare contendit, resistit ipsi Spiritui Sancto. R. 1. Cum Suarez, ex verbis statim sequentibus intelligi, quod Concilium loquatur de actu seu desiderio justificationis supernaturali: ait enim, desiderium hoc nos habere per Spiritus S. infusionem. R. 2. Transmittendo sermonem esse de operibus naturalibus, Concilium tantum excludere velle ab illis operibus rationem meriti: non enim poterat Concilium negare omnem expectationem Dei: dicitur enim Apocal. 3. Ecce! sto ad ostium. Isa. 55. Expectat Dominus ut misereatur nostri. Isa. 55. Expectavi ut faceret vras. R. 3. Deum non expectare nostra opera naturalia univèrsim, & in sensu Massiliensium, quasi essent conditio sine qua non. Jam suprà enim monuimus, Deum multis conferre Gratiam supernaturalem absque talibus operibus præcedentibus, & hoc vel liberalissime, vel ob preces alicujus Sancti &c.

790. Objic. 4. Si opera naturalia dicto modo conducerent ad justificationem, sequeretur, quod homo posset gloriari, quod seipsum discredidisset, & de suo haberet Justitiam. R. Negando

sequelam, quia hæc ipsa opera naturalia non fierent sine Gratia per Christum: nam licet fierent sine gratia intrinsicè supernaturali, non tamen sine supernaturali extrinsicè: omne enim auxilium præbens sufficientiam moralem, & multò adhuc specialius omne auxilium efficax, est Gratia per Christum, quia in tantum conducit ad salutem, in quantum, ut diximus, ex meritis Christi annexa est illis operibus gratia intrinsicè supernaturalis: omne autem quod quomodocunque proximè conducit ad Gratiam supernaturalem, est ex Gratia per Christum. Sed contra hoc ipsum fundamentum nostrum,

791. Obijciunt aliqui illud ad Rom. 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt.* quibus verbis videtur excludi omnis gratia supernaturalis, etiam quoad modum, seu extrinsicè. S. Augustinus intellexit hunc locum de Gentilibus ad fidem conversis, quasi dicat S. Paulus, illos sine lege scripta, non tamen sine gratia facere ea quæ sunt legis: & sic cessaret obiectio. Ceterum communior est interpretatio aliorum PP. & Theologorum, S. Paulum loqui de Gentilibus necdum conversis, & huic interpretationi favent Pius V. & Gregorius XIII. damnantes propositionem Michaëlis Baij, asserentis, illos cum Pelagio sentire, qui dictum locum intelligunt tantum de Gentilibus, fidei gratiam non habentibus. Hac ergo interpretatione admittenda, R. 1. Hunc locum in sensu adversariorum plus probaturum esse, quam velint adversarij. Totius illius capitis argumentum est hoc. S. Paulus redarguit Judæos, qui ex data sibi lege Scripta, Gentes condemnabant, eadem ipsi patrans; cum Deus unicuique redditurus sit juxta ipsius opera: & vult illos confundere, quod habentes legem scriptam eam tamen non servant, cum contra gentes ductu luminis naturæ faciant ea quæ Judæis lex scripta præcipit. Quæro nunc ex adversarijs; vel loquitur S. Paulus de operibus naturalibus facillimis (qualia sola putant adversarij posse fieri sine gratia per Christum) hoc est, quæ sine gravi resistantia possunt fieri, vel etiam de difficilibus. Si primum, inepta & inanis est redargutio Judæorum; responderent enim Paulo, se etiam leges facillimas observare, & tantum in difficillimis labi. Si dicant secundum, ut dicendum est, attento contextu, jam argumentum nimium probat. Nam nec adversarij audent concedere, posse graves tentationes vinci sine gratia per Christum. Nihil ergo nobis adversatur ille locus, quo S. Paulus ad summum voluit excludere per rō Naturaliter, actus quoad substantiam supernaturales.

Eodem modo intelligendus est alius locus ejusdem Apostoli ad Rom. 4. *Si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum,* hoc est, non meretur præmium supernaturale, ut explicat P. Cornelius. Idem sensus est illius apud Matth. 5. *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis, nonne & publicani hoc faciunt:*

o o

792. Alius

792. Alius locus est, quem speciosius videntur adversarij, Proverb. 18. *Hominis est animam preparare, & Domini gubernare linguam.* sensus est, ut exponit P. Salazar & alij: hominis est facere propositum recte loquendi, & in hunc finem prae-cogitare quae dicturus sit; quod cum non sufficiat ad apte loquendum & persuadendum, opus est insuper, ut Deus linguam moderetur, & regat. Unde sic argumentatur. Propositum recte loquendi & praemeditatio illa, est actus honestus: sed hic potest fieri sine gratia per Christum: ergo &c. Minor probatur. Nam quando ex duobus operibus unum adscribitur homini, & alterum Deo, prius solet pertinere ad hominem secundum naturam spectatum; alioquin non esset ratio, cur unum potius quam alterum homini tribueretur. Hoc tamen argumentum ipsis adversarijs solvendum est. Nam illa gubernatio linguae, non est intrinsece supernaturalis, sed naturalis, non minus quam est gubernatio gressus, moderatio vocis in cantu, &c. Assignent ergo adversarij discrimen, cur haec moderatio potius adscribatur Deo, quam propositum bene loquendi, cum secundum illos utrumque sit pure naturale?

Re. Directe, ideo homini tribui propositum sic vel sic loquendi, Deo vero gubernationem ut verba sic vel sic proferantur, & non turbentur; quia quando duo effectus comparantur, quorum unus determinatur ab una causa, alter vero ab alia, unusquisque tribuitur illi causae, quae magis ad illum determinat: sic opera nostra libera non dicuntur fieri in nobis sine nobis, sed nobiscum: & quamvis sint opera Dei, recte tamen etiam dicuntur esse nostra, ut definit Tridentinum; cuius rationem damus; quia ultima determinatio provenit à nobis: contra illuminationes tribuuntur Deo potius quam nobis, & dicuntur fieri in nobis sine nobis; quia licet nos etiam physice & vitaliter influamus, determinatio tamen earum sit à Deo, non à nobis.

Pari modo, propositum recte, & ordinate loquendi, est actus, ad quem se voluntas determinat: quia tamen etiam hac determinatione posita, non raro fit, ut contra omne nostrum studium & diligentiam turbetur memoria, species intellectuales, motus linguae &c. ideo quod huiusmodi error omnino caveatur, Deo potius tribuendum est, qui posset permittere huiusmodi turbationes, vel ipsemet causare, prout causavit in lingua Balaam, Numer. 23. qui cum animo destinasset Maledicere Israël, Deus ejus linguam ita flexit, ut Benediceret.

Hanc explicationem ita à me conceptam, reperi postmodum approbatam à P. Cornelio à Lapide, magisque illustratam, & auctoritate Rabinorum, ac ex ipso textu Hebraeo confirmatam.

Advertit insuper P. Cornelius, Pelagianos hoc textu abusos esse ad suum errorem tuendum, quasi sensus esset: Hominis est inchoare bonum, sed Dei est illud complere: quibus obviatur S. Au-

gustinus, & illum textum mystice intelligens, lib. 2. contra duas Epist. Pelag. ad Bonif. ita locum interpretatur, ut planè stet pro nostra sententia. Ideo, inquit, scriptum est: Hominis est prae- parare cor; non tamen sine adiutorio Dei, qui tangit cor, (ecce! quoddam pravia cognitio, quae tangitur, dicatur adiutorium Dei:.) Homo preparat cor in responsione autem linguae, id est, in eo quod prae- parat cordi lingua divina responderet, nihil operis habet homo: nam sicut dictum est: hominis est prae- parare cor, & à Domino responsio linguae, ita etiam dictum est aperire os, & implebo illud Ps. 80. Quia- vis enim nisi adjuvante illo sine quo nihil possumus fa- cere. Jo. 15. os non possumus aperire, tamen nos aperi- mus illius adjumento, & opere nostro: nam quid est, prae- parare cor, & os aperire, nisi voluntatem parare? & tamen in eisdem literis legitur: Praeparatus vo- luntas à Domino. & labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam. Et infra. Quia- propter multa facit Deus in homine bona, quae non fa- cit homo, nulla autem facit homo, quae non facit Deus, ut faciat homo.

CONTROVERSIA VI.

Vtrum ratione Indolis & Complexionis Naturalis, secluso omni extrinseco, unus sit melius dispositus ad bonum usum Gratiae, quam alius.

793. Videri posset haec quaestio supervacua, cum omnes supponant partem animativam, & nemo unquam in dubium vocaret, excepto P. Martino Esparza, qui hoc sensu communi adeo non movetur, ut in fine quaestiones 45. de Passionibus pronuntiet, eos solum partem affirmativam supponere indubitatum, qui ad per- ca, maximeque obvia respicientes, facile, ut ait Philosophus, de rebus pronuntiant. Quare enimvero, inquit, infinitus est numerus, sed infinitus contemnendus, ut habetur Ecclesiasticus 1. v. 15. Sapientes vero, uti nullos habuimus, quos sequeremur in hac quaestione, ita nulli sunt, quod sciam, qui contradicant. Ita hic auctor.

Proponit ipse auctor pro parte affirmativa quindecim argumenta, & taretur, quod propter haec argumenta ponderata, communis hominum persuasio sit, Bonam indolem, & passionibus naturaliter temperatas, esse magnum quoddam donum Dei, & plurimum conferre ad felicem exitum, & ad laudabilem totius vitae progressum. Contra hos omnes fert deinde censuram relatam. Videamus argumenta huius auctoris, quanti ponderis sint ad invertendum sensum communem. Deinde, an nullus sapiens illi contradixerit.

794. Itaque P. Esparza supponit pro fundamento, primò, quod in ordine ad spem par- ticularum vitae aeternae vel consequendae vel amittendae, sint planè paria sequentia extrema 1. Pe- riculum peccandi, & tantumdem spei bene ope- randi

randi 2. Facilitas patrandi gravissima peccata, & difficillima penitentia, sed rarerer occurrentia: & facilitas committendi peccata non vsque adeo gravia, aut facilioris penitentia, sed occurrentia frequenter 3. Habilitas æquè prompta ex se, five ad percipienda & exequenda documenta se, five ad bona tum mala, five ad imitationem tum bonam tum laudabilem exemplorum, & contraria inhabilitas 4. Mutabilitas æquè levis de bono in malum, & de malo in bonum, & immutabilitas contraria.

795. Supponit 2. Quod omnis possibilis naturaliter complexio passionum, constituat hominem quemlibet in alterutro horum extremorum, conjuncto cum altero sibi correspondente, idque sub eadem iustissime mensura & gradu: id quod declarat exemplo S. Pauli, ante & post conversionem, S. Magdalene quoad vim amoris mundani prius, deinde divini, ac denique puerorum, quos ob bonitatem indolis Angelos vocamus, qui æquè facile inducuntur ad bonum atque ad malum, qualem scilicet magistrum primò nati fuerint. Rationem hujus à priori reddit duplicem, proximam, & remotam. Proximam quidem, quia appetitus sensitivus dirigitur imprimis cognitione præscindendo à ratione honesti & inhonesti, ideoque incumbit & cooperatur pari impetu per singulas species passionum, singulis affinis speciebus electionum voluntatis five pravarum five laudabilium. Remota autem ratio hæc est. Peculiaris dispositio & pronitas ejusdem appetitus ad singulas species affectuum seu passionum, dependet ex peculiari temperamento primarum quatuor qualitatum in vnoquoque, eisdemque iuste respondet: quatuor autem primæ qualitates duplici constant contrarietate ut patet ex philosophia: servant præterea similem contrarietatis modum quoad vim agendi ac resistendi, ut quæ qualitas est maximè activa (*loquor autem*, inquit Auctor, de Qualitate in concreto) eadè sit minimè resistens, & e converso, quæ est maximè resistiva, eadè sit minimè activitatis. Apparet ergo ex ista primarum qualitatum natura, & ex prænotata inter ipsas & passionem seu affectum analogia, eos, in quibus præminent passiones maximè actuosæ, subesse necessariò passionibus ad resistendum minimè idoneis, & qui plura aggredi ac perficere vim maximè possunt, eosdem objectis exterius occurrentibus facile cedere, atque in eorum naturam transire quam citissime. Ex istis sic concludit:

797. Cum igitur, quæ ad salutem animæ & ultimi finis consecutionem requiruntur, omnia ad hæc duo summa capita redigantur. pl. 36. Declinare à malo, & facere bonitatem, hoc est, resistere tentationibus demonis (quasi verò præter demonem non etiam tentaret mundus & caro) & cooperari inspirationibus Dei, clarè concluditur, quorum quoad alteram partem est optima dispositio, eorundem quoad partem alteram æqualiter requisitam esse tantundem pravam di-

spositionem. Quia verò præmissam insuper est vim tam agendi quàm resistendi, nec non defectum virtutis ad agendum & resistendum, five circa difficilia, & rara, five circa facilia ac ordinaria, æquè vigere ac deficere in quolibet respectu honesti ac inhonesti, quantum est ex parte appetitus sensitivi secundum se, concluditur denique, omnes cujuslibet generis complexiones passionum ad æquè consideratas, esse absolute æquales, relate ad ultimum finem: nec pro salute animæ esse præferibile ac optabile magis unum aliquod determinatum temperamentum individuale affectuum, quàm quodvis aliud: atque omnia illa mutæ compensationis extrema, initio proposita, omnino subsistere, sibi quæ invicem correspondere iustissime in omnibus & quibusvis individuationibus intrinsicis ac invariabilibus hominum, secundum se præcisè consideratis, ac præscindendo ab ijs penitus omnibus, quæ unicuique specialiter providentur à Deo extrinsecus & variabiliter. Hæc ille pro sua singulari doctrina.

797. Primum argumentum contra hanc sententiam desumitur ex Sap. 8. ubi Salomon de seipso dicit: *Puer eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam.* Hæc prærogativa debet utique intelligi per ordinem ad ultimum finem; nam media non merentur præ alijs medijs commendari, nisi præ alijs conferant ad ultimum finem. Respondet P. Esparza, hoc intelligendum, & verum esse in ordine ad finem proximum, qui est: observantia instructionis paternæ: nempe qui sunt ingeniosi, facilius à parentibus instruuntur: ceterum si nanciscerentur instructores in malo, æquè facile corrumpentur, & ideo spectatis intrinsicis, non sunt ingeniosi melius dispositi ad ultimum finem quàm stupidi. Huic tamen responsioni quominus acquiescam, impedit gravium virorum auctoritas (quos nescio an P. Esparza etiam velit censeri in numero Infinitorum) qui disertè asserunt bonitatem ingenij specialiter ad virtutem potius quàm vitia addiscenda conducere. Tertullianus quidem ait: *Deus ita naturam disposuit, ut ea gratia aptissimum fundamentum existeret.* Ergo secundum Tertullianum, dispositio naturæ potest esse minùs magisve aptum fundamentum Gratiæ, non utique præcisè recipiendæ (quamvis & hoc sufficeret contra doctrinam Esparza) sed præbens majorem minorève spem boni vltus. Seneca epist. 96. comparat homines habentes bonam indolem & naturam, Dijs, quod sicut Dijs sunt ex natura sua omnibus virtutibus præditi, ita qui bonam habent indolem, sunt proniores ad virtutem. *Vi Dijs immortales* (inquit) *nullam didicere virtutem cum omni editi, & pars naturæ eorum est, esse bonos, ita quidam ex hominibus egregiam sortiti indolem in ea quæ tradi solent perveniunt sine longo magisterio, & honesta* (NB. nihil simile dicit de vitijs) *complectuntur cum primum audierint.* Aristoteles 3. Eth. c. 9. dicit, quod qui habent ingenium amænum & acre, sunt bene à natura instituti, & ad bonum procli-

proclives. Galenus *Class. 1. tit. Quod animi mores corporis temperaturae sequantur*: expresse docet, quod vitiosus à non vitioso differat antecederet ad ea quae ab extrinseco adveniunt. Non enim, inquit, *ut refert Stoicorum opinio, totum extrinsecus ingruit in nostros animos vitium, sed plurimum in se ipsis homines vitiosi causae habent, quod extrinsecus advenit, longè minus est.* Demùm negari non potest, Ascetarum sensum unanimem esse contra doctrinam P. Esparza. Loco ceterorum sit P. Joannes Crombecius, qui *lib. 1. de studio Perfect. cap. 10.* cuius titulus est: *Plurimum adsumto esse acquirendae Perfectiōni, Temperamenti & Complexionis bonitatem* (qui titulus est conclusio directe opposita doctrinae P. Esparza) sic concludit. *Inter singularia Dei beneficia referri debet, si cui naturam ad virtutem idoneam, si Temperamentum conveniens, si Complexionem temperatam, si passiones moderatas in ipsius formatione tribuat.* Ergo secundum hunc Ascetam, falsum est, omnes complexiones esse aequaliter iustissime idoneas ad progressum in virtutibus. Et n. 3. sic habet. *Quapropter inter eximia ea dona, quae Deus mortalibus largitur, illud reputari haberique imprimis debet, in ortu suo nascisci Temperamentum consentiens; complexionem item temperatam, unde passionum moderatio exurgit, à Deo accepisse.* Et verò subinde Deum rerum omnium architectum singulari providentiâ concurrere ad naturae ad virtutem idoneae ac temperatae fabricam, praesertim si quando quempiam ad singularis sanctitatis fastigium aut officij praecleari dignitatem destinare voluerit, mihi omnino persuadeo. Hæc Crombecius.

Ut nunc ad responsum P. Esparza redeamus, ea, ut dixi non satisfacit. Nam licet ingeniosi facillè quoque addiscant vitia; immò aliqua vitia sint, quae ut mandentur executioni, opus habent bono ingenio, uti sunt, quae tendunt ad circumveniendum proximum: ceterum mihi indubitatum est, quod illi qui habent minus ingenij, facilius inducantur ad pleraque vitia: ad hoc enim non est opus magno ingenio, ut patet in rudibus gentilibus: certè manifestum est, quod Idololatria, quae est peccatum gravissimum, sicut & infidelitas, facilius incurritur ab idiotis, quam à doctis & ingeniosis: & hoc scelus omnium maxime praeccludit viam ad salutem; quia fides est initium Iustificatiōnis: quapropter mihi certissimum est, quod ingenium per se ac ceteris paribus plus spei faciat consequendae salutis, quam carentia ingenij: quidni enim facilius sperem ab ingenioso agnitionem divinarum perfectiōnum & beneficiorum ad poenitentiam alliciendum, quam à stupido?

798. Secundum fundamentum esse potest, ostendendo, discursum P. Esparza factum ex primis qualitatibus, non esse concludentem. Nam etiamsi demus verum esse, quod omne temperamentum comparatum cum alio, quantum praevallet in virtute agendi, tantum vincatur ab altero in virtute resistendi: hinc tamen non concluditur, quod hocipso vnum sit aequè aptum ad ex-

ercitium virtutum omnis generis, atque est oppositum, & aequè optabile: sicut non rectè inferretur, vnum esse aequè aptum ad conferriōnem sanitatis corporalis & vitae temporariae, quae est alterum.

799. Vltiùs falsum omnino existimo, quod (sunt verba, Auctoris in Respons. ad 4.) qui specialiter dispositi sunt ad peccata omnium gravissima, scilicet ad Odium Dei, Desperationis, & Infidelitatis, sint aequè dispositi ad opera bona heroica omniumque praestantissima: quis enim nescit, quod Odium Dei & Desperatio facilius procedant ab animo turbato, quam ab animo pacato? atqui opera heroica & praestantissima quis expectet aequè ab animo turbato, ac à pacato?

800. Adhuc mihi incredibilis est, quod sequitur, *Qui*, inquit, ex temperamento passionum sunt specialiter idonei ad retinendam incolorem perpetuam innocentiam, non propterea sunt melioris conditionis respectu vitae aeternae: quia iidem sunt specialiter tantundem expositi periculo perpetuae impietatis & desperationis, si semel incidunt in peccatum aliquod. Quis, quaeso, neget, facilius talem resistendum à peccato, ceteris paribus, quam illum qui à natura non est inclinatus ad perpetuam innocentiam? qui enim est à natura inclinatus magis ad innocentiam perpetuam, hac amissa adhuc est inclinatus ad innocentiam proximam perpetuam, hoc est, ut sit minùs sceleratus: sicut, qui à natura est inclinatus ad perpetuam continentiam (ut fuerunt aliquae sanctae Matronae) si tamen precibus parentum, vel ex alia causa contrahant nuptium, manent adhuc inclinati magis ad servandam castitatem matrimonialem, quam illi, qui à natura est inclinatus ad omnem lasciviam.

801. Vltiùs P. Esparza multum laborat in ostendendo, quod prorsus aequaliter sit dispositus ad consequendam vitam aeternam ille, qui à natura est inclinatus ad Militiam, ferocitatem, homicidia & rapinas, atque ille, qui à natura est inclinatus ad Mercaturam, quae est exposita periculo minorum furtorum & fraudum. Inter alia (nam nimis longum esset omnia referre) haec habet. *Homicidia & rapinae, quibus est specialiter obnoxius miles, difficilius, ideoque rarius committuntur, quam doli & furta mercatoris: quia prioribus peccatis contradicunt (id est resistunt) iis quibus nocent, utpote praecij nocuenti, seu potius intentionis nocendi, utpote dolose ac latenter nocentibus.* Sunt item facilius poenitentiae per se, & emendationis homicidia & rapinae militares, quam doli & furta fraudulenta. Quia nihil interest homicide continuata complacencia in homicidio; atque rapinas facit miles ad usum praesentaneum; unde neutro ex facinore inficit sibi compedes, usque adeo impedituros poenitentiam, & reditum ad bonam frugem. at Mercator adhuc quasi viro divitijs inique comparatis, & difficillimè adductus, ut illis renuntiet, verèque poenitet &c.

Ex hoc

Ex hoc discursu (de cuius veritate vniversali non sum sollicitus) contra hunc auctorem arguuntur hoc modo. Hinc sequitur, quod qui est inclinatus ad Mercaturam, sit in maiore periculo damnationis, quam qui est inclinatus ad militiam: consequens est contra id quod auctor hic nititur probare: ergo doctrina huius auctoris non videtur sibi coherere. Sequelam probabo. Qui est inclinatus ad peccata quæ facilius & frequentius fiunt, & sunt difficilius penitentia, est in maiore periculo damnationis, quam ille, qui est inclinatus ad peccata graviora quidem, sed rariora & facilius penitentia. Sed mercator est inclinatus ad peccata quæ facilius & frequentius fiunt, & sunt difficilius penitentia, quam miles. Ergo &c. Minor est contenta in discursu. Major est ex terminis nota, & colligitur per argumentum à contrario ex ijs, quæ ex hoc auctore superius Num. 2. retulimus, vbi supponit pro fundamento, hæc duo esse paria: *facilitas patrandi gravissima peccata, & difficillime penitentia, sed rarer occurrentia, & facilitas committendi peccata non vsque adeo gravia aut facilius penitentia, sed occurrentia frequentior.* Si hæc sunt paria, ergo inclinatio ad Mercaturam, & ad peccata Mercaturæ, quæ sunt frequenter occurrentia, & difficilis penitentia, nec tamen adeo gravia vt sunt homicidia & rapina, non est par inclinationi ad militiam, & ad peccata militiæ, quæ sunt graviora quidem, sed raro occurrentia, & facilius penitentia.

802. Superest, vt ad argumentum Adversarij respondeamus. Argumentum autem ex dictis ita formari brevissime potest. Sicut in primis qualitatibus se habet virtus agendi ad virtutem resistendi quoad excessum & defectum, ita se habet virtus agendi bonum ad virtutem declinandi à malo, seu resistendi tentationibus: sed virtus agendi vnus qualitatis quantum excedit virtutem agendi alterius qualitatis, tantum eidem cedit in virtute resistendi suo contrario, vt patet in aqua & igne &c. ergo quantum excedit vnus hominis virtus seu inclinatio complexionis ad agendum bonum virtutem alterius; tantum illi cedit in virtute resistendi tentationibus, seu declinandi à malo. atqui virtus agendi bonum & virtus declinandi à malo, pari passu sunt necessitate ad vitæ æternæ consecutionem: ergo non potest vnus hominis inclinatio esse magis idonea ad consequendam vitam æternam præ alia.

Respondeo, negando maiorem & paritatem ibi positam. Disparitas desumitur ex ijs, quæ docentur in Physicis de Virtute resistendi elementorum, prout est contradistincta à virtute agendi eorundem, & post alios videri possunt apud P. Sylvestrum Maurum. Virtus enim maior resistendi v.g. aquæ quam ignis, aliud non est, quam exigentia, ne in præsentia ignis tam celeriter destruitur frigus, quam celeriter destruitur calor ignis in præsentia sui contrarij. At verò virtus resistendi tentationibus nulla ratione potest distinguui à virtute agendi: nec enim est mera exi-

gentia ne tentationes vincant, neque etiam est pura omisio, sed est formalissime virtus agendi & eliciendi actus contrarios illis actibus, ad quos impellit tentatio; & quia sunt actus victoriosi, ideo arguunt maiorem virtutem agendi. Vnde impossibile est, vt quis alterum excedat in virtute agendi bonum necessarium ad salutem, quin eundem excedat in virtute resistendi tentationibus: neque enim aliud bonum est necessarium ad salutem, quam observatio omnium mandatorum, quæ formalissime obinetur per virtutem resistendi tentationibus. Vnde resistere tentationibus, & facere bonum necessarium ad salutem, non sunt, realiter loquendo, duo capita sed vnicum, expressum à Christo Domino dicente: *Si vis ad vitam ingredi, serva Mandata.* Matth. 19. & solum possunt esse duo capita, si per *facere bonum*, intelligantur opera supererogatoria, iuxta id quod Christus addidit: *Si vis perfectus esse &c.* Virtus autem maior ad opera supererogatoria, non trahit secum virtutem minorem ad facienda opera obligatoria, sed qui vincit in priore, vincit à fortiori in posteriore, vt certum est. Et hæc mihi in hac questione sufficiunt, vt non erubescam esse ex numero *Infinitorum*.

CONTROVERSIA VII.

Vtrum Gratia Christi sit Necessaria ad vincendas graves tentationes.

803. **N**otandum Primum. Non esse questionem præsentem de Tentatione contra legem obligantem ad aliquem actum supernaturalem ponendum, v.g. ad suscipiendum Sacramentum penitentia, ad quod requiritur actus supernaturalis voluntatis, qui non potest haberi sine prævio auxilio supernaturali, quæ est vtique gratia per Christum.

Notandum 2. Tentationem gravem non sumere suam denominationem à gravitate legis vel materiæ circa quam versatur, sed à vehementiâ quam habet in alliciendo ad actum illicitum, nec potest per aliquam certam regulam mathematicè designari, quanam sit vehemens aut levis tentatio, sed cuiusvis prudentis arbitrio, & ex communi sensu est æstimanda, an talis sit, vt fundet probabile iudicium & periculum futuri lapsus, considerando varias etiam circumstantias, v.g. diuturnitatem: nam quæ, si brevis esset, levis censeretur, si diuturna sit, gravis æstimabitur, & quæ vni ob suam complexionem esset gravis, alteri ob diversam complexionem esset levis.

804. Notandum 3. Questionem procedere tum de omnibus tentationibus gravibus collectivè sumptis, quæ intra longum tempus occurrere possunt (prout in simili infra quaeretur, vtrum possint cum ordinarijs auxilijs vitari omnia venialia collectivè sumpta) tum de singulis seorsim consideratis.

00 3

805. No-

805. Notandum 4. In aliquo sensu non posse ullam tentationem vinci sine speciali Beneficio, quod saltem in extrinseca protectione & ordinatione divina consistat, quatenus potuisset Deus permittere tentationis incrementum eoque, ut inferret necessitatem moralem peccandi. Sanè quivis prudenter Deo gratias agit, quòd non obvenit gravior tentatio. Et hanc gratiam ne quidem Semipelagiani negarunt, ut ex Prospero docet Suarez c. 24. n. 17. & 19. Nunc autem questio procedit de victoria tentationis gravis quæ actu hominem invadit.

806. Notandum 5. Non esse hîc questionem de potentia physica antecedente ad vincendum tentationem. Hanc enim certum est præsupponi in omni tentatione ad peccatum, nam quidquid fit sine illa, non est peccatum, quia non est liberum. Est ergo questio de potentia antecedente morali. Et quidem superius supposuimus, in Natura lapsa non dari potentiam moralem vitandi omnia mortalia sine gratia per Christum, adeoque hominem non habere potentiam moralem vincendi omnes tentationes graves, quæ Veritas nunc stabilienda est.

807. Notandum 6. Questionem procedere de natura lapsæ, non de natura integra. Communis enim & vera sententia est, in natura integra non fuisse opus speciali auxilio contradistincto ab illis omnibus prerogativis, quibus status ille gaudebat, ad vitanda moraliter tam mortalia quam venialia, quia nec erat rebellio partis inferioris, nec permittebatur vehementior dæmonis insultus, ad præveniendam rationem &c. ita docuit, semperque supposuit S. Augustinus, lib. de Bono Persev. c. 7. dicens: *Qui non infertur in tentationem, nec discedit à Deo, non est hoc omnino in viribus naturæ quales nunc sunt: fuerat in homine, antequam caderet.* His positis

808. Dicendum est primò. Non posse, potentiam morali, sine gratia speciali, vinci omnes tentationes graves collectivè sumptas, quæ per longum tempus occurrere possunt. Hanc Conclusionem existimant aliqui esse de fide. Suarez vocat oppositam temerariam & errori proximam. Vasquez ait, nullum Doctorem Catholicum contrarium docuisse, & licet tribuatur Scotto, Durando, Gabrieli, & Abulensi, hos tamen ab eâ liberat Vasquez, sicut & Oviedo liberat Molinam, ostendens eum locutum fuisse de potentia physica.

Probatur primò, Auctoritate Scripturæ Pl. 17. *In te eripiar à tentatione.* & Pl. 117. *Impulsus eversus sum ut caderem, & Dominus suscepit me.* 1. Cor. 10. *Fidelis Deus qui non patitur vos tentari supra id quod potestis.*

Probatur 2. Auctoritate Pontificum & Conciliorum. Celestinus Papa in Ep. ad Episc. Gall. c. 6. & Innocentius in Epist. ad Concil. Araus. q. 93. dicunt, necesse esse, hominem gratiâ privatum diaboli laqueis irretitum occumbere, dum ad omnia vitæ perficienda mandata, solâ libertate

contendit. Concilium Arauscanum anathematizans asserentes, sine gratia posse impleri divina præcepta.

809. Probatur 3. Ratione à posteriori. Defacto Gentiles tamen adjuventur speciali gratiâ per Christum entitativè & intrinsece naturali, nihilominus ex tot millenis vix unus alter reperitur, qui longo vitæ tempore, inter frequentes peccandi occasiones positus, non peccet mortaliter: ergo rectè colligimus, quòd sine omni auxilio gratiæ nullus planè esset, qui nunquam peccaret in quacunque tentationum frequentia. Atqui quod à nullo fit, arguit impossibilitatem moralem. Ergo &c.

Hinc jam colligi potest ratio à priori. Nam homo naturaliter vehementissimè afficitur bonis delectabilibus, lege naturali prohibitis: Ex altera parte etiam naturalibus viribus cognoscens Deum, & honestatem in evitandis peccatis, per tamen objecta, vtpote à sensibus remota, non nisi valde obscurè penetrantur, & debilitantur, quamdiu non accedit spes altioris premii, nec homo impellitur ad illa objecta profundius & attentius contemplanda. Insuper, ut fuit dictum est, per peccatum originale sunt debilitatæ vires naturæ in ordine ad honestè operandum, ex qua diminutione universaliter derivatur in singulos maxima quædam diminutio, & debilitatio, ob mala exempla aliorum, pejorem educationem &c.

810. Dicendum 2. Potest in particulari dari aliqua determinata tentatio tam gravis, ut solis naturæ viribus, sine auxilio indebito superari non possit. Ita communis, contra Superum, Ruardum, Tapperum, Guilielmum, & alios apud Suarez. Probatur ipsæ auctoritatibus, quibus prior Conclusio, & colligitur à priori.

811. DICO 3. Nulla tentatio gravis potest sine auxilio gratiæ indebito vinci. Ita communis. Probatur 1. Auctoritate Patrum, qui contra Pelagium astruunt, Naturam lapsam adeo imbecilem, ut interdum dicant, hominem in vincendis tentationibus nihil posse; aliquando verò, parùm posse; quod communiter intelligitur de levissimis tentationibus: nam vincens gravem tentationem non est parùm. Theophrastus in 1. ad Cor. 14. *Quævis, inquit, tentatio nostras exsuperat, nisi Deus auxilietur nobis.*

Ratio conclusionis desumitur ex dictis. Nam cogitatio, & inclinatio voluntatis ad bonum, quæ voluntas elevatur ultra meram potentiam physicam ad bene operandum, non est homini post lapsum debita; potuisset enim Deus absque miraculo causas secundas ita disponere, ut cogitatio tam robusta non eveniret mihi, sed alia valde infirma, & præcisè sufficiens ad potentiam physicam.

812. Objic. 1. Solent homines ob aliquod bonum temporale, honoris v.g. vindictæ, luxuriosæ, voluptatis &c. sæpè superare graves tentationes, &

graviores quam quæ tentant contra legem naturalem: ergo sicut illas, ita & has vincere possunt sine auxilio gratiæ. *Re.* Negando consequentiam. Nam illa bona sensibilia & mundana licet minora sint, & esse minora cognoscantur quam sint bona æterna, magis tamen alliciunt naturam corruptam, quam honestas in illis repudiandis, aut premium merè naturale. Nam ut S. Augustinus lib. de patient. c. 24. loquitur; *quando voluntas sua cupiditate rapitur, quanto jucundius æstimat quod habere vel conservare appetit, tanto tolerabilius perferit quod minus sibi est ad perferendum quam aliud ad patiendum.* Quidquid enim illud est, ex creatura est, cuius nota voluptas est, quodammodo enim famulari contactu atque connexu ad excipiendum ejus fragilitatem adjacet amanti creaturæ amata creatura. Huc etiam facit canon. 17. Concilij Araus. 2. *Fortitudinem gentium mundana cupiditas, fortitudinem Christianorum Charitas Dei facit.*

813. *Objic. 2.* Ex ultima Conclusionem sequitur, quod homo relictus suis viribus naturalibus, & victus à tentatione gravi, non peccaret mortaliter, quod est absurdum. Sequela probatur. Nam sicut cum carentia potentie physice homo omnino non peccat, ita cum impotentia morali saltem non peccabit mortaliter. Probatur consequentia. Nam defectus plenæ advertentie facit ut homo non peccet mortaliter.

814. Circa hanc objectionem P. Suarez c. 24. n. 34. & 35. docet, ad peccandum mortaliter omnino requiri non solum potentiam physicam, sed etiam aliquo modo moralem; existimat enim, hominem quando peccat mortaliter, habere potentiam moralem non peccandi, pro singulis instantibus secundum se, & seorsum consideratis, deesse tamen potentiam moralem in ordine ad resistendum tentationi perseveranter, & per mortalem notabilem: unde infert, nullam tentationem reputandam esse gravem, quæ tantum ducet per instans, quantumvis vehemens esset. Suarez in hoc ultimo accedit P. Oviedo.

Hæc tamen doctrina mihi non probatur. Imprimis enim Suarez non procedit consequenter, ut ostendit Lugo. Nam in Natura lapsa homo non posset potentiam morali, sine auxilio gratiæ, diligere Deum super omnia dilectione naturali, & ut auctorem naturæ, ne quidem per instans, ut docet ipse Suarez, cum valde communi sententia, quæ etiam deducitur ex dictis: & tamen tunc haberet præceptum obligans sub mortali ad amandum Deum super omnia, ut etiam facit Suarez c. 31. n. 8. Ergo datur obligatio sub mortali sine potentia morali ad oppositum.

Vergeto magis universaliter. Nam Suarez universaliter docet, nullam tentationem gravem posse vinci sine gratia: atqui datur utique non tantum tentatio gravis contra præcepta negativa; sed etiam contra affirmativa, & quæ incipiunt obligare pro aliquo determinato instanti. Ulterius, etiam si daremus, quod gravitas tentationis contra præceptum negativum posset vnicè desu-

mi à diuturnitate pugnæ, v. g. contra sextum præceptum, attamen quando præceptum est affirmativum, v. g. Nunc eliciendi actum fidei vel spei, tunc diuturnitas pugnæ non facit tentationem gravem, sed potest esse gravis statim in primo instanti obligationis: ergo si tunc naturæ vires sufficiunt moraliter ad vincendam tentationem, non erit univèrsim verum, nullam gravem tentationem posse moraliter viribus naturæ vinci.

Confirmatur 1. Quando anima sententiam damnationis accipit, & primo statim instanti sentit penam sensus, eodem instanti peccat odio Dei, nec habet potentiam moralem non peccandi pro primo statim instanti: ergo ad peccandum mortaliter non requiritur aliqua mora, aut potentia moralis pro singulis instantibus seorsum consideratis.

815. Confirmatur 2. Argumento à contrario, quo utitur P. Arriaga. Potest quis ita esse obfirmatus in Bono, ut illi sit moraliter impossibile etiam pro vno instanti consentire in grave peccatum: ergo econtra potest quis ita esse obfirmatus in malo, ut ne quidem per instans possit moraliter consentire in Bonum.

Ad objectionem ergo respondetur, negando paritatem. Disparitas est, quia ad peccatum mortale requiritur plena advertentia, ad malitiam & prohibitionem objecti, alioquin non erit plene liberum & voluntarium: eatenus enim est voluntarium, quatenus est cognitum: ergo si tantum est semicognitum, erit tantum semivoluntarium. at verò impotentia moralis bene consistit cum plena advertentia ad objectum: unde qui ex gravissimo metu iusto, inferente moralem necessitatem, duceret uxorem, valeret matrimonium: ergo peccatum mortale potest consistere cum impotentia morali ad vitandum; seu cum necessitate morali peccandi. Econtra etiam semiplena advertentia ad malitiam non arguit impotentiam moralem vitandi illam malitiam, sæpe enim cum tali semiplena advertentia vincuntur tentationes, ut notavit Lugo.

816. *Objic. 3.* Quando homo ex motivo alicujus vitij vincit tentationem ad aliud vitium, v. g. ex vana gloria aut avaritia abstinere à fornicatione, tunc utique non vincit per auxilium aliquod gratiæ & illuminationis: ergo vincit viribus naturæ. *Re.* Cum Suarez concedendo totum; sed hoc non facit ad præsentem questionem, quæ procedit de tali victoria, ut non vincamur ab alia tentatione gravi. In casu objectionis autem vinceremur à tentatione gravi, etiam si esset circa materiam leviter tantum peccaminosam.

Replicabis. Ponamus ergo; me longo tempore ex affectu ad materiam venialiter tantum peccaminosam vitare omnia mortalia: ergo possem servare totam legem diu sine speciali gratia. *Re.* Negando casum. Nam hoc ipsum quod est objecta mundana v. g. honoris, avaritiæ, &c. ita proponi, ut non excitent amorem tam immoderatum, qui sit lethaliter peccaminosus, esset magnum

magnam beneficium protectionis extrinsecæ: posse autem per extrinsecum beneficium protectionis servari totam legem, vltro concedimus, & ita respondet Lugo.

817. Aliter tamen adhuc responderi potest ex doctrina tradita lib. 2. De impossibilitate actûs indifferentis. Et imprimis quidem observo, illos qui majus peccatum evitant per minus peccatum, plerumque non solum committere veniale, sed insuper etiam mortale quoad affectum, & quidem ex vi illius tentationis quam videntur vincere, adeoque illam revera non vincunt: v. g. puella vehementer ab alio sollicitata, si non recusat stuprum amore honestatis, sed ex motivo humano, v. g. ne imprægnetur, plerumque habet conjunctum affectum & consensum conditionatum: *si non imprægnarer, facerem*, qui est utique grave peccatum. Verum, quidquid sit de hoc actu, si hunc actum non habet, necessè est, ut vel habeat actum honestum, vel alium actum peccaminosum. Nam illi puella proponitur obligatio non fornicandi propter fornicationis inhonestatem: ergo hæc obligatio & inhonestas debet aliquo modo terminare actû puellæ, quo non vult fornicari, vel tanquam motivum formale fugæ, & sic erit actus honestus (& sumus extra casum) vel tanquam motivum neglectum, & sic puella peccabit, quia dicit: *Nolo fornicari, non quidem ideo quia prohibitum est: hoc enim non curo, sed ne imprægnem*: & hic actus est graviter peccaminosus, & habet saltem malitiam inobedientiæ.

CONTROVERSIA VIII.

Virum sit necessaria Gratia ad vincendam tentationem levem.

818. **N**otandum 1. Ex suprà dictis constare, nunquam vinci tentationem levem, sine aliquo speciali favore saltem protectionis extrinsecæ, dum scilicet Deus non permittit tentari gravius circa hoc vel aliud objectum, & in hoc nobiscum sentit P. Tannerus & Bellarminus. Nunc autem non est de hoc quæstio, sed: an supposita jam levitate tentationis, quando scilicet animus non nisi parùm afficitur erga bonum illicitum, eò quòd non apprehendat nisi ut exiguum bonum: quaritur, an requiratur ulterior gratia ad vincendam talem tentationem levem.

Notandum 2. Ex dictis etiam sequi, quòd casu quo levis tentatio vinci non possit nisi per actum aliquem bonum & honestum, tunc saltem ad potentiam consequentem opus sit gratia, eò quòd nunquam detur actus honestus sine auxilio efficaci, adeoque beneficio speciali, & quia omnis victoria peccati conducit, saltem indirectè, tanquam removens prohibens, ad salutem æternam, & sic jam est gratia per Christum, juxta superius dicta. Hispositis

819. **DICO**, probabilius esse, non posse vinci ullam tentationem levem, quin detur aliquod auxilium indebitum, saltem in aliquo particulari, & in ordine ad elicendum actum honestum oppositum peccato.

Probatur 1. Auctoritate S. Chrysostomi hom. 24. in epist. ad Corinth. dicentis. *Sunt tentationes quas sufferre non possumus: & quænam sint illæ? Omnes, ut ita dicam (in græco legitur) omnes ut semel dicam.* & deinde hoc extendit ad tentationes humanas, quarum nomine communiter intelligunt Theologi leves & quotidianas, præ illud: *Tentatio vos non apprehendat nisi humana.*

820. Ratio à priori est. Quia ut levis tentatio superetur per actum honestum oppositum, debet præcedere cognitio propensio bene statem victoriæ: atqui potuissent objecta responsi sine miraculo, ut quidem objectum peccatum leviter alliceret, v. g. mendacium, sed tamen honestas veracitatis appareret in gradu superiore; ergo semper intervenit beneficium indebitum.

821. **Objic.** 1. Videtur nostra Conclusio coincidere cum propositione vigesima octava Michaëlis Baij, quæ sic habet. *Liberum arbitrium sine adjutorio Gratiæ non nisi ad peccandum valet.* 2. Reponendo propositionem simillimam Concilij Arausiaci 2. quæ habetur can. 11. *Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum.* quæ etiam habetur apud S. Augustinum, in Epist. ad Hilar. 2. Illam propositionem esse probatam in sensu auctoris, scilicet, quòd homo sine gratia ne quidem habeat potentiam antecedentem physicam ad resistendum peccato. Docet enim Bajus teste Suarez lib. 1. c. 24. n. 21. & 22. quòd quando homo peccat, sit ad peccandum necessitatus, & tamen peccatum ei imputetur eò peccatum originale, ita habet propos. 67. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quòd necessarius est.*

822. **Objicitur** 2. Bulla Pij V. & Gregorij XIII. contra eundem Bajum, in qua prohibetur trigesima propositio, quæ talis erat. *Nisi solum fures hi sunt & latrones (Pelagianos intelligit) qui Christum viam & ostium veritatis & viam salutis, sed quicumque aliunde quàm per Christum in viam salutis, hoc est ad aliquam justitiam confecti possunt, aut N.B. tentationi vili sine gratia ipsius adjutorio resistere hominem posse, si in eam qui non recidat aut superetur.* 3. Cum P. Vasquez d. 2. c. 8. n. 178. & seq. hanc propositionem non solum prohibitam propter doctrinam quam continet, sed propter acerbam censuram oppositæ sententiæ, quam docuerant gravissimi doctores, & idem censura Pelagianismi prohibita est, propter scandalum quòd apud multos genuerat. Hanc interpretationem ait Vasquez se contulisse cum Card. Tolæto, cum adhuc sacri Palatii Conciliator & Theologus esset Anno 1586. qui probat Bulla & damnatione recipienda Lovanium missus est, eamque probavit & germanam esse dixit, propriamque manu subscripsit. Idem dicendum est de illa.

CONTROVERSIA IX.

Vtrum cum Auxilijs Ordinarijs possint per longum tempus vitari Omnia Venialia.

826. **E**X definitione Concilij Tridentini, de fide tenendum est, non solum esse viribus naturalibus, & secluso omni auxilio indebito, impossibile moraliter vitare omnia venialia per totam vitam; (vt volebat Pelagius) sed hoc ipsum etiam impossibile esse cum Communibus & Ordinarijs Auxilijs Gratia, in Statu Via; quod intelligendum est de adultis. Ita Trid. sess. 6. can. 23. *Si quis, inquit, hominem semel iustificatum, dixerit posse in tota vita peccata etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.*

Probatur hæc veritas ex S. Scriptura Jacobi 3. *In multis offendimus omnes. Eccles. 7. Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum & non peccet. Pl. 142. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. 1. Jo. 1. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus &c.*

827. In reddenda ratione Conclusionis hæctenus quidem auctores convenerunt, hanc moralem necessitatem aliquando peccandi venialiter intra longum tempus, ita intelligendam esse, vt tandem verificetur in aliquo peccato determinato, de quo determinatè sit verum dicere, quod non potuerit moraliter loquendo vitari, si ve hæc necessitas proveniat ex defatigatione in vincendis prioribus occasionibus, vt putat Lugo, si ve ex eo, quod conditio hominis, præsertim in natura corrupta, sit ita constituta, vt considerata cum omnibus alijs causis secundis & occurrentijs, quæ possunt allicere innumeris modis ad lapsum venialem, saltem per subreptionem & inadvertentiam, sit physice necessarium, vt intra longum tempus occurrat circumstantia aliqua determinata, in qua est moraliter impossibile non labi venialiter, vt mihi quidem videtur, & experientia suadet.

P. Martinus Esparza aliam viam ingreditur, & existimat, hanc moralem necessitatem reperiri etiam in collectione omnium illorum venialium, seu omnium occasionum peccandi venialiter, quarum singula essent moraliter superabiles, etiam post alias jam superatas: vnde vltèrius existimat, rationem huius morales necessitatis desumendam esse ex ratione generali, ex qua provenit moralis necessitas alicujus difformitatis in magna multitudine effectuum, habentium causam liberam & contingentem: v. g. est moraliter necessarium, vt qui millies projicit Talos, non semper eundem numerum projiciat, sed aliquando diversum; & huius exempla plura afferri possent. Porro hæc moralis necessitas provenit ex eo, quod summa vniformitas non habeat nisi vnā causam adequatam, hoc est, non potest fieri,

P p

fieri,

de damnatione 29. propol. *Pelagianus est error dicere, quod liberum arbitrium valeat ad vllum peccatum vitandum.*

823. Obijciunt 3. S. Chrysostomus supra relatus, vbi dicit, tentationes non posse facillè superari sine gratia: ergo agnoscit, posse saltem difficulter superari. R. Hunc locum æquè ad verarij explicandum esse. 1. Quia ipsi volunt, tentationem levem posse sine gratia facillè superari: si enim non nisi difficulter, jam non esset tentatio levis, sed gravis. 2. Quia S. P. loquitur pariter de levi ac de gravi tentatione, vt ostendit Vasquez, ergo etiam gravis posset difficulter superari, quod nec adversarij admittunt. Voluit ergo solum significare, non deesse libertatem & potentiam physicam.

824. Obijciunt 4. S. Hieronymus lib. 3. con. Pelagium. *Hoc, inquit, & nos dicimus, posse hominem non peccare si velit, pro tempore, pro loco, pro inextinguibili corpore, quamdiu intentus est animus &c.* & infra. *Humana conditio si paululum se remisit, discit fragilitatem suam, & multa se non posse cognoscit: ergo sentit, liberum arbitrium saltem aliquid posse, saltem exiguum, si illud sit accommodatum fragilitati humanæ.* Addit etiam, non rectè inferre Pelagianos, nos posse semper servare legem, & vincere omnes tentationes, ex eo quod possumus levem tentationem vincere. R. S. Hieronymum, vt ex toto contextu capituli primi & quarti patet, non negare, requiri semper auxilium gratia indebitum, sed solum velle, quod per auxilia ordinaria possumus quidem aliquandiu vitare omnia peccata, non tamen semper & perpetuè; vnde exempli causâ affert dictum S. Pauli: *Percutiat te Deus paries dealbate, & existimat, cum non nihil à Christiana patientia recessisse, deinde ait, perpetuitatem impeccantiæ soli Deo reservari, & ei qui Verbum Caro factus est, carnis detrimenta & peccata non pertulit.*

825. Obijciunt 5. S. Augustinus lib. 1. ad Simplic. q. 2. sub finem. dicens, ante electionem ad gratiam, nihil in nobis præcedere, nisi aut majus ingenium, aut humanas disciplinas, aut minora peccata. R. S. Augustinum loqui de electione ad gratiam supernaturalem, vt supra explicatum est.

Obijciunt 6. Idem Augustinus lib. de Perfect. Just. c. 2. ratiocin. 3. dicens, in natura vitata parum esse ad non peccandum voluntatis arbitrium: ergo putat, saltem aliquam tentationem vinci posse. R. Ex hoc loco potiùs colligi contrarium: sensus enim est clarus, parum esse, hoc est, non sufficere arbitrium solum ad non peccandum, sine gratia: sicut, si diceret: parum est ad merendum præmium, scire voluntatem Domini; vel: ad doctrinam Theologicam comparandam parum est intelligere latinam linguam, & nosse scribere, nisi accedat ingenium, studium, & instructio. Deinde dici potest, per id Parum significare voluisse, adesse solam potentiam physicam.

fieri, vt Tali millies cadant eodem modo, nisi mille vicibus taliter imprimatur impulsus: vel breuius: hæc vniformitas est vnica; e contra diffinitas opposita huic vniformitati est incomparabiliter multiplex possibilis, vt patet; vnde etiam potest procedere à diuersis causis adæquatis, vt fusè declarat auctor.

Itaque hæc moralis necessitas aliud non est, quàm summa improbabilitas oppositi: nemo enim potest prudenter opinari tanquam probabile futurum, vt projiciens Talos millicies, semper projiciat numerum binarium, quamvis singulis vicibus posset moraliter contingere, vt ita projiceret. Hanc deinde doctrinam applicat ad necessitatem moralem peccandi venialiter.

829. Assentior eequidem, hanc moralem necessitatem peccandi aliquando venialiter, intra longum tempus, & occurrentibus plurimis occasionibus, à nemine qui terminos penetret negari posse; est enim prorsus improbabile, quòd Petrus cum ordinarijs auxilijs sit vitaturus omnia venialia continuatâ serie, quæ successivè intra longum tempus committere potest, etiam cum semiplena advertentia, sufficiente tamen moraliter ad vitandum veniale scorsim sumptum. ad hanc enim improbilitatem asserendam sufficit experientia, quâ deprehendimus innumeros homines, propriâ confessione, sic labi, & nullum scimus qui nunquam lapsus sit.

Cæterum, re sapius consideratâ nunquam inducere animum potui, vt crederem, ad hanc impotentiam moralem, hoc est, ad hanc improbilitatem respexisse Patres Concilij Tridentini. Non enim credo, voluisse Patres definire hanc veritatem philosophicam: *Improbabile est, vllum hominem cum ordinarijs auxilijs vitaturum omnia venialia per longum tempus, quamvis singula posset moraliter vitare.* Nam hujus rei definitio nihil serviret ad confirmandam Naturæ corruptæ imbecillitatem, & infirmitatem majorem, quàm quæ esset in statu puræ & innocentis Naturæ. Fatetur enim P. Esparza, quòd argumentum suum procedat eodem modo de statu puræ & innocentis Naturæ.

830. Confirmo & explico rem totam hoc discursu. Concilium definit, non posse hominem vitare omnia Venialia, collectivè sumpta, cum ordinarijs auxilijs, adeoque à fortiori definit, quòd nullus omnino vitabit. Nam impotentia moralis antecedens, ita ab omnibus explicatur, quòd scilicet physicè posset fieri oppositum, sed nunquam fieri: ergo hæc est propositio contradictoria definitioni Concilij: *Aliquis homo, cum ordinarijs auxilijs, vitat omnia venialia.* Ergo non potest in vlla hypothese stare veritas posterioris propositionis cum definitione Concilij. Subsumo. Atqui, si Concilium solummodo definivisset impotentiam moralem, quæ non sit aliud, quàm summa improbabilitas seu inaffirmabilitas, quòd aliquis homo sit omnia vitaturus, tunc posterior propositio non esset contradictoria De-

initioni Concilij, & posset in bona hypothese stare ejus veritas cum veritate definitionis. Ergo Concilium definivit majorem impotentiam moralem, quàm illam, quæ assignatur à P. Esparza: atqui non potest assignari major impotentia moralis, quàm dicendo, quòd in natura corrupta unicuique homini intra longum tempus occurrat aliquando occasio peccandi venialiter, quæ ex morali necessitate, non potest, etiam determinatè sumptam, in his circumstantijs superare. Ergo ultra illam est admittenda etiam hæc major impotentia moralis. Subsumptum est probandum pro cuius evidentia

Observandum est, quòd quando dicitur: esse moraliter impossibile, hoc est, summè improbabile, magnam aliquam seriem effectuum contingentium poni tali ordine, v. g. Talos millicies projectos, semper ferre numerum binarium, aut senarium &c. quòd, inquam, hoc ita verum sit, vt tamen simul etiam verum sit, esse metaphysicè necessarium, vt defacto projiciatur aliqua certa series numerorum, quam antecedenter ad summationem erat æquè moraliter impossibile, hoc est, summè improbabile projici, atque erat de Binario. Ostendo. Nam quoscunque numeros millenos successivè projicias, antequam periceres, si ille ordo fuisset in charta notatus, & sponso faciendâ, an esses eo ordine projectum, æquè fuisset improbabile, egressuram talem roriam, ac omnes jactus fore aequales. Pari modo, si per mille occasiones peccandi venialiter, cæteris omnibus occasionibus non pecces, non est vlllo modo probabile, quòd potius sis peccaturus primâ & ultimâ vice, quàm duabus primis vicibus, & idem est de quibuscunque vicibus assignabilibus: vnde consequens est, quòd quomodocunque deinde eveniet, semper evenitura sit aliqua series actuum, quæ in sensu P. Esparza antecedenter fuit moraliter impossibilis, hoc est, summè improbabilis. Ergo à primo ad vltimum, possunt de vna eademque serie verificari hæc duo: esse moraliter impossibile, hoc est, antecedenter summè improbabile, & inaffirmabile, & tamen, eam defacto poni. Ergo, etiam ponamus aliquem hominem cum ordinarijs auxilijs vitare omnia venialia, non est hæc hypothetice contradictoria definitioni Concilij, si (vt P. Esparza putat) ad eam verificandam plus non requiritur, quàm summa improbabilitas. Et sic subsumptum est probatum. Consequentia sunt omnes legitimæ. Antecedens non minus clarè probatur ex fundamento adversarij. Ideo est summè improbabile, me vitaturum omnia venialia, quia hæc conformitas in operando habet vnicam causam adæquatam: seu clariùs: quia non potest poni nisi vnicò modo; e contra verò quæcunque diffinitas ponatur, illa opponitur conformitati, & potest diffinitas tot modis fieri, quot modis possunt variari combinationes et dissensibus vel consensibus &c. atqui hoc totum procedit

procedit de quacunque serie determinata excogitabili; illa enim etiam tantum potest poni vno modo; e contra diversitas ab illa serie, potest tot modis poni, quot sunt excogitabiles combinationes, habentes aliam numerorum variationem: ergo est utrobique par improbabilitas.

831. Confirmatur 2. Concilium docet, quod ex speciali privilegio possit homo vitare omnia venialia. Hoc privilegium possit dupliciter concedi. Primo, conferendo auxilia moraliter prædeterminantia seu necessitantia, salvâ potestate physicâ ad oppositum. Secundo modo, si Deus non quidem moraliter necessitaret, attamen pro singulis occasionibus provideret auxilia efficaciacia. Hoc secundo modo nihil penitus augeretur vires ad operandum, nec operationes villo modo facilitarentur magis, quam defacto facilitantur in sententia contraria, volente, quod singula possent moraliter vitari. Caterum nec ex Scriptura, nec ex alio capite poterat Concilium colligere, quod defacto nullus homo sit cooperator omnibus auxilijs præbentibus moralem potestatem, sed opus esse speciali privilegio, si vires non augerentur ad facilius operandum. E contra facili intelligitur hoc privilegium augere vires, si dicamus, quod per speciale privilegium Deus conferret semper auxilia, dantia moralem potentiam, quæ alioquin in natura corrupta deberent aliquando abesse. Ergo impotentia moralis in nostro sensu accepta, est maximè ad mentem Concilij, non item in acceptione adversarij.

832. Confirmatur 3. Si Concilium ex S. Scriptura non collegisset & asseruisset aliam impotentiam moralem, quam summam improbabilitatem de omnibus peccatis venialibus vitandis, tunc posset quis sine piaculo pronuntiare, esse homini moraliter impossibile, cum ordinarijs auxilijs vitare omnia mortalia per longum tempus. Consequens est falsum, & ab omnibus negatur, ergo &c. Probo sequelam: quia antecederet ad omnes eventus, quibus vnusquisque homo obnoxius esse potest, est maximè probabile, de quovis singulari homine, quod intra longum tempus, vel saltem per totam vitam aliquando peccabit mortaliter, & contrarium est summè improbabile. Ratio est, quia summa raritas est eorum, qui creduntur vixisse sine omni culpa mortali; e contra eorum qui aliquando peccant mortaliter, est infinitus numerus: ergo antecederet ad omnem casum eventualem, v.g. an sit educandus inter Catholicos, vel hæreticos, vel Gentiles, an in aula vel militia, vel religione &c. antecederet inquam ad huiusmodi eventus, nemo prudens posset sperare, loquendo de aliquo determinato homine, quod esset victurus sine mortali per septuaginta annos. Sic nemini nostrum est nunc probabile, quod hodie sit ad eam infaniam perventurus, ut sit occisurus seipsum, abnegaturus Christum &c. quamvis in rerum natura fuerint plures qui hæc patravérunt.

833. Confirmatur denique 4. In sententia adversarij posset rectè & sine absurdo dici, hominem habere simul & semel potentiam moralem, & impotentiam moralem, vitandi omnia venialia: potentiam moralem quidem antecedentem, impotentiam verò moralem consequentem: hoc autem est absurdum; sic enim denique liceret dicere; quod homo haberet potentiam moralem vitandi cum ordinarijs auxilijs omnia venialia, intelligendo de potentia morali antecedente, de qua regulariter accipitur vocabulum *Potentia moralis*, absque eo quod censeretur contradicere Tridentino, quia juxta adversarium Concilium tantum loquitur de Impotentia consequente. Sequela probatur. Nam post evitata v.g. viginti novem venialia, adhuc habetur antecedens potentia moralis ad vitandum Trigesimum, ut fateatur adversarius, & tamè non habetur potentia moralis ad Trigesimum vitandum ex hypothesi, quod viginti novem vitaverit, propter summam improbabilitatem, quod homo sit vitaturus Triginta venialia continuatâ serie. Vnde docet adversarius, quod tunc intellectus determinaretur ad iudicandum, quod ex hypothesi quod sint vitata viginti novem, non sit vitandum Trigesimum. Legatur Esparza q. 14. ad 2. Ergo omnibus consideratis, consultius est persistere in communi explicatione Impotentia moralis. Contra quam

834. Obijci solet. Actuum frequentia generat habitum: ergo facilitatem: ergo ex frequentia victoriæ, potiùs facilius, quam difficilius vitaretur deinde peccatum. R. 1. cum Card. Pallavicino, Actum facilitare quidem ad actum similem, non autem ad dissimilem, hoc est, qui deberet vincere graviores molestias; v.g. qui constans fuit in equuleo per aliquod tempus, non habet imposterum maiorem facilitatem ex habitu ad perseverandum, quia perseverantia est molestior quàm præterita perpessio. Et hinc potest reddi ratio, cur in statu Naturæ integræ, nulla fuisset necessitas moralis committendi aliquod peccatum: cum enim pars inferior esset omnino subordinata superiori, nullam molestiam aut defatigationem illa observantia præceptorum attulisset.

Respondeo 2. Moralem necessitatem labendi non vnicè induci ex multitudine victoriarum præcedentium, sed sæpè evenire independentè à prævijs victorijs, præsertim in peccatis quæ fiunt per subreptionem, & ut supra notavimus, non potest homo diu vivere, quin huiusmodi occasio occurrat, inferens moralem necessitatem antecedentem, nisi speciali providentiâ gubernetur.



CONTROVERSIA X.

Qualiter sit impossibile, Hominem resistere toti collectioni omnium auxiliorum possibilium.

835. **E**st quaestio non ita pridem excitata, an sit impossibile metaphysicè, ut detur aliquis homo, respectu cuius Deus defacto nullum videat auxilium efficax, id est, (ut quaestionem in nostris principiis disputemus) qui in statu conditionato, ita reddat omnia auxilia inefficacia, omnibus resistendo, ut ex omnibus possibilibus auxilijs, nullum videatur à Deo, de quo sit verum dicere: si Petrus haberet hoc auxilium, illi consentiret. In qua quaestione quidam innominati RR. solam moralem impossibilitatem agnoscetes, negant Metaphysicam impossibilitatem.

836. Dicendum est, esse repugnantiam metaphysicam; quamvis ea non possit evidenter ostendi. Conclusionem supponunt potius, quàm disputant Suarez, lib. 3. opusc. c. 14. Ruiz de Provid. d. 8. Conink de Actib. supern. d. 2. dub. 7. Esparza, & alij.

Probatur 1. Ex S. Script. Proverb. 21. *Cor regis in manu Domini, quocunque voluerit, inclinabit illud*: Ad Rom. 9. *An non habet potestatem signus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud autem in contumeliam*. Verum, quia hi textus recipiunt interpretationem, ideo melius

Probatur 2. Auctoritate S. Augustini q. 2. ad simplic. circa medium: *Cum alius sic, alius vero sic moveatur ad fidem, eademque res saepe alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat, aliumque moveat, alium non moveat, quis dicat NB. defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret &c.* In quibus verbis (ut hoc obiter dicam) advertit Suarez, apparere, quòd S. Augustinus non in praedeterminatione physica constituerit efficaciam Gratiae: Si enim in hac constitueret, cum quacunque vocatione quodlibet induratum cor posset efficaciter movere, quòd vellet: ad quid ergo opus recurrere ad diversitatem vocationis? Sed hoc incidenter. Nunc ad praesens propositum sic argumentor. S. Augustinus pro veritate innegabili habet, potuisse Deum etiam Esau convertere: atqui non esset veritas innegabilis, si potuisset Esau totam collectionem auxiliorum possibilium reddere inefficacem: ergo S. Augustinus sentit hoc esse non posse. Minor probatur. Nam adversarij defendunt, esse possibilem hominem (vocemus eum Esau) de quo sit verum dicere: *Nullum est possibile auxilium, cum quo hic homo converteretur*.

Accedunt alia ejusdem S. P. testimonia lib. de Corrept. & Grat. c. 14. *Sine dubio, inquit, habens humanorum cordium, quòd placeret, inclinandum omnipotentissimam potestatem*. Ecce! ex infinita potestate deducit, quòd Deus possit quemcunque convertere; atqui est impossibile simpli-

citer, Deum non habere omnipotentiam: ergo secundum S. Augustinum est simpliciter impossibile, aliquem toti collectioni auxiliorum resistere.

Colligitur etiam hac Conclusio satis efficaciter ex illo S. Pauli testimonio, quo induratum supponit, nullum hominem seipsum discernere reprobis, sed discerni à Deo, quatenus, ut supra explicavimus, Deus cuiusvis posset dare auxilium efficax; adeoque est merum beneficium, & quidem speciale, quòd det auxilium efficax, & sic discernat à reprobis. unde sic argumentor. Si homo posset metaphysicè, hoc est, sine ulla applicantia, reddere omnia possibilia auxilia inefficacia, posset etiam eadem possibilitate reddere omnia efficacia: sed talis homo, supposita productione, seipsum discerneret à reprobis, nec enim reprobari posset, quia non posset habere auxilium inefficax, & tamen Deus deberet dare quod auxilium: ergo tam unum quàm alterum est impossibile: quia est impossibile, ut aliquis seipsum discernat, prout supponit Sanctus Paulus.

837. Principua ratio Conclusionis demonstratur ex limitatione Potentiae resistivae quae habet voluntas creata, quae utique est finita & limitata: e contra verò potentia Dei dandi auxilia & vocationes in infinitum diversas & diversimodo allicientes, est infinita: ergo si alterum harum potentialium est ab altera vincenda, utque debet vinci potius potentia limitata, quàm illimitata: atqui necessarium est, ut in casu de quo disputamus, alterutra vincatur: si enim vera est nostra Conclusio, vincit omnipotentia Dei, si verò est falsa Conclusio, vincit voluntas creata, resistendo omnibus vocationibus possibilibus: sicut diceret vincere, si possem cuiusvis volenti me trahere ad se, ita resistere, ut penam immobilis: ergo dicendum est, quòd vincat Omnipotentia.

838. Quidam ingeniosus Hispanus, voluit Conclusionem evincere hoc argumento calculatorio. Est saltem moraliter impossibile, hoc est, valde difficile, ita ut vel nunquam, vel raro contingat, aliquam collectionem maximam finium illustrium auxiliorum totam frustrari, prout omnes concedunt. ergo est simpliciter & Metaphysicè impossibile collectionem infinitam, immò & finitam duplo majorem, frustrari. Probatur Consequentia: quia ab impotentia secundum quid, hoc est, morali, ad impotentiam simpliciter, non est tanta distantia, quanta est ab equilibrio voluntatis, & indifferentia omnimoda ad impotentiam moralem: nam alioquin, qui esset in impotentia secundum quid, superare posset difficultatem duplo majorem, quàm est illa, quam patitur: ergo (contra hypotheseum) non haberet difficultatem nec impotentiam ullam: nam qui cum hoste pugnat, quo duplo fortius vincere potest, nec difficulter illum vincet, nec dicetur esse moraliter impotens ad illum vincendum.

dum. Ex hoc argumento intulit hic Recentior, esse metaphysice impossibile non dari factores, fibros, &c. quia est moraliter necessarium illos dari in Hispania. atqui totus mundus est utique duplo major, & magis indigus factoribus. Verum hoc eodem argumento tam multa possent probari esse chymica, quæ certum est non esse, ut taceat in eo rejiciendo verba perdere. Contra Conclusionem

839. Objicitur. Potest voluntas simpliciter singulis auxiliis resistere, nullo excepto. Atqui singulis resistere, nullo excepto, est omnibus resistere; & singula frustrare, nullo excepto, est omnia, & totam collectionem frustrare: ergo potest voluntas simpliciter, & omnibus auxiliis resistere, & totam collectionem frustrare.

Retorquetur argumentum in Impotentia morali, quam omnes agnoscunt. Singulis auxiliis seorsum sumptis possum resistere moraliter; sed resistere moraliter singulis, est resistere moraliter toti collectioni: ergo possum moraliter resistere toti collectioni, quod adversarij negant. Parimodo non valet consequentia: Potest Deus singulos homines omnium possibilium producere: ergo totam collectionem omnium possibilium. Sed de Regula cognoscendi, quando non valet consequentia à sensu distributivo ad collectivum, dixi libro primo, probans existentiam Dei.

Rationem autem specialem, quare in præfenti materia non valet consequentia, deduco

ex quodam principio alibi explicato, nempe quod omnis actus liber voluntatis creata, in suo tendendi modo, & amplectendi objectum cum certa appropriatione, firmitate aut debilitate, quæ cuius actui ex essentia sua inest, habeat prædicatum essentiale, in quo intuitivè aut comprehensivè cognito, cognosci possit per evidentiam metaphysicam, quod si homo in eodem instanti habuisset debilius auxilium, in aliquo certo gradu debilitatis, non fuisset consenturus, aut contra, si habuisset fortius in certo gradu, fuisset consenturus. Quapropter sicut cujusvis individui existentia essentialiter est connexa cum negatione infinitorum individuorum non existentium, & ideo non valet consequentia à singulis ad totam Collectionem, ut dictum est, ita videtur quilibet actus liber habere essentiale prædicatum, quo transcendentaliter connectatur cum dissensu vel consensu, sub alijs conditionibus & auxiliis futuro; & per consequens, non valet consequentia à singulis ad totam collectionem.

Ad argumentum in forma facilis est responsio, cum sit vitiosum. Concessa majore, & minore, negatur consequentia. Major enim procedit de potentia; Minor de actu: & consequentia iterum de potentia. Debet ergo minor ita formari. Posse singulis resistere, est posse toti collectioni resistere. &

sic negatur minor juxta dicta.

C A P V T III. D E M E R I T O. CONTROVERSIA I.

Quomodo intelligenda sit Meriti Divisio, in meritum de Congruo, & Meritum de Condigno.

840. **M**eritum, prout consideratur in præfenti, estque effectus præcipuus Gratiæ elevantis, non malè definitur ab Oviedo: Obsequium doni supernaturalis. Hæc definitio abstracta à merito de condigno, & à merito de congruo. Meritum enim de condigno non solum est potens movere ad retributionem, sed etiam exigit hujusmodi retributionem, non item meritum de congruo. Nam homo peccator per contritionem meretur de congruo primam gratiam, & tamen non exigit illam; item, homo justus meretur de congruo Gratiæ & perseverantiam finalem, &

tamen non exigit illam, sicut exigit augmentum gratiæ sanctificantis, ut ex dicendis constabit.

841. • Dividitur ergo in Meritum de Condigno, & Meritum de Congruo. Discrimen exponit S. Thomas in 2. dist. 27. q. 1. a. 3. Dicitur aliquis, inquit mereri ex condigno, quando invenitur æqualitas inter præmium & meritum secundum rectam æstimationem. Ex congruo autem tantum, quando talis æqualitas non invenitur, sed solum secundum liberalitatem donantis munus tribuitur, quod dantem decet. Eundem sensum facit, quod alij Theologi alijs verbis dicunt, meritum de Condigno esse meritum simpliciter, meritum de Congruo tantum secundum quid: Item, quod meritum de Condigno sit